271-2
J51

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/instructiomagist0000unse

INSTRUCTIO MAGISTRI NOVITIORUM

AUCTORE

Ven. P. IOANNE A IESU MARIA

CARMELITARUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS ITALICAE

III PRAEPOSITO GENERALI

(1564 - 1615)

EDITIO CRITICA

a P. Fr. ANASTASIO A SANCTO PAULO

ANNALISTA ET CHARTULARIO EIUSDEM ORDINIS EXARATA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

APUD CURIAM GENERALITIAM
CORSO D'ITALIA 38
ROMAE (34)

271-2
-51

IESUS MARIA IOSEPH

Fr. Ferdinandus a Sancta Maria, Praepositus Generalis Fratrum Discalceatorum Congregationis S. Eliae Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo *Instructionem Magistri Novitiorum* a R. P. Fr. Ioanne a Iesu Maria Ord. Nostri compositam graviumque Doctorum iudicio commendatam de consensu Superiorum in lucem edendi facultatem concedimus. Datum Neapoli, idibus octobris 1607.

Fr. Ferdinandus a S. Maria
Praepositus Generalis.

I. † M.

NOS FR. GULIELMUS A S. ALBERTO

PRAEPOSITUS GENERALIS FRATRUM DISCALCEATORUM
ORDINIS B.MAE V. MARIAE DE MONTE CARMELO EIUSDEMQUE S. MONTIS PRIOR.

Cum opus, cui titulus *Instructio Magistri Novitiorum* a Ven. P. Ioanne a Iesu Maria Ordinis nostri compositum reimprimi necessarium visum fuerit, concedimus licentiam ut typis edatur, servatis de iure servandis, atque valde optamus ut Magistri Novitiorum universi Ordinis nostri eandem *Instructionem* in novitiorum educatione sequantur, iuxta praescriptum Constitutionum nostrarum, num. 241.

Datum Romae ex Aedibus nostris Generalitiis die 9 maii 1929.

Fr. Gulielmus a S. Alberto,
Praepositus Generalis.

Fr. Iulius a S. Theresia,
Secretarius.

IMPRIMATUR
Ioseph Palica, *Archiep. Philippen., Vicesgerens.*
Romae, 25 septembris 1929.

RATIO HUIUS NOVAE EDITIONIS

Instructio Magistri Novitiorum Ven. Ioannis a Iesu Maria, sicut et eius *Instructio Novitiorum*, conscripta est de mandato primorum Superiorum Congregationis nostrae Italicae eo intuitu ut uniformitas in educatione Novitiorum in toto Ordine adesset. Debetur viro sancto, docto et expertissimo in viis Domini, qui in hac Congregatione per annos 17 quasi continuos, et quidem omnium primus, Magister Novitiorum fuit (Ianuae 1593-1598; Romae 1598-1607; 1608-1611). Cum vero exemplaria huius operis, decursu temporis, perpauca effecta sint, de mandato Patris Nostri Praepositi Generalis Gulielmi a sancto Alberto haec nova editio critica conficitur, et quidem intuitu eiusdem scopi quo opus conscriptum fuerat: nempe ad uniformitatem in educatione Novitiorum in Ordine nostro obtinendam. Optime enim Constitutiones nostrae (1) praecipiunt ut Magister in educatione Novitiorum *inhaereat doctrinae, quam Ven. Ioannes a Iesu Maria, vir sanctitate et doctrina insignis, in Instructione tam Magistri quam Novitiorum tradidit.*

Instructio Magistri Novitiorum conscripta fuit anno 1607, biennio post editionem *Instructionis Novitiorum*, at nonnisi anno sequenti (1608) Neapoli, typ. Tarquini Longi (in-16°), iussu Ferdinandi a sancta Maria, Praepositi Generalis, prodiit. Iuxta R. P. Florentium a Puero Iesu (2) haec *Instructio* varias editiones habuit: nempe Coloniae 1612, in-24°; ib. 1614, apud I. Crithium, in-12°; et insuper in lingua polonica cura R. P. Cyrilli a S. Francisco. His addenda est versio gallica R. Patris Augustini a Virgine edita in *Études carmélitaines* ab anno 1912, p. 37, usque ad annum 1914, p. 419, sub titulo *Le Maître des Novices;* atque demum illa R. Patris Theodori a S. Ioseph, prov. Flandriae, *Instruction du Maître des Novices*, Courtrai, Vooruitgang, 1926, in-16°.

In *Operibus omnibus* Ven. Ioannis a Iesu Maria haec *Instructio Magistri Novitiorum* invenitur: *a*) in ed. Coloniae Agrippinae 1622, t. II, pp. 162-211; *b*) ib. 1650, t. II, pp. 162-211; *c*) Florentiae 1771-1774, t. III, pp. 217-257. Notandum est divisionem numerorum his in editionibus eandem non esse. Nos textu editionis Florentinae utimur, eo quod haec optima editio facta sit ab erudito Patre Ildephonso a S. Aloysio. Dolemus tamen nos exemplar primaevae editionis *Instructionis* prae manibus habere non potuisse. Interpunctione hodierna utimur; atque auctorum locos et relationes cum optimis editionibus, ad quas in notis remittitur, contulimus. Sub fine exhibemus textum, ineditum, primae conscriptionis huius *Instructionis*, asservatum in Archivo nostro generali Romae; qui textui edito brevior est.

Faxit Deus ut haec nova editio uberrimos fructus afferat.

Romae, 25 aprilis 1929.

Fr. Anastasius a Santo Paulo.

---

(1) *Regula et Constitutiones Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo*, Romae, typis polyglottis Vaticanis, 1928, part. II, cap. 5, num. 241, pp. 72-73.

(2) *El V. P. Fr. Juan de Jesús Maria Preposito General de los Carmelitas Descalzos* (1564-1615). *Su vida, sus escritos y sus virtudes*, Apéndice A, num. 40; Burgos, 1919, p 276.

3890

EPISTOLA NUNCUPATORIA AUCTORIS

ALMAE CONGREGATIONI SANCTI ELIAE FRATRUM DISCALCEATORUM ORDINIS

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO

FR. IOANNES A IESU MARIA S.

Apud sapientes rerum spiritualium expensores constitutum est, Alma Congregatio, ad primaevum pene collapsae disciplinae monasticae statum restituendum idoneos Novitiorum Magistros in primis requirendos. Reformationis quippe totius caput est bonos pueritiae ac adolescentiae instructores habere, qui rudes animos e saeculo ad claustra vocatos velut stipites nuper e silva caesos expoliant et, excisa ruditate, ad arcanam claustri fabricam quasi ad ferculi Salomonis structuram artificiose coaptent. Atque hoc sane idem expetendum est ubi non tam de collapsa disciplina instauranda quam de fauste condita vel reparata tuenda serio agitur: cum a bonis Novitiorum educatoribus tam ruinae reparatio quam constantis aedificii firmitudo dependeat. Placeat ergo votum hoc meum quo nonnihil laboris ad molem hanc status monastici stabiliendam contuli. Exiguum est sane quod offero, si cum rerum pondere comparetur; at exigua munera ex voti magnitudine perpensa tibi, Alma Congregatio, probanda non ambigo; praesertim cum ex genere quoque suo spectata ad fauste coeptam B. Virginis ac Fundatricis tuae Theresiae disciplinam alendam utcumque conferant. Coeptis ergo insiste, et bonos satarum plantarum cultores quorum peritia et labore fecunditas et amoenitas tua in Ecclesiae Paradiso feliciter crescat, e caelo precare. Vale.

PRAEFATIO

1. Ante annos circiter duos Novitiorum Instructionem in lucem dedimus, quae universis Religionum coetibus prodesse posset, tametsi Religioni primum nostrae destinata fuisset. Neque enim suberat idonea piaque ratio quae rem utcumque proximis salutarem occulendam persuaderet. Licet enim non quaelibet cuiusvis Religionis *Instructio* evulganda sit, cum peculiaria quaedam capita iustis ex causis uni probata aliis fortasse noxia sint; eae tamen quas obesse non posse perspectum est, profecto celandae et spirituali quodam avaritiae genere aliis subtrahendae non sunt.

2. Hac igitur ipsa ratione permoti *Magistri Instructionem* tam aliis quam nobis ipsis (ut speramus) profuturam edere decrevimus, ut monasticae disciplinae propemodum collapsae ruinae reparentur. Causa quippe communis est, in quam vel imbecilles animi (quales nos esse fatemur) exiguas vires suas communis pietatis assertrices conferre debeant.

3. Quanti vero sit ponderis ad rem grandem hanc bonos Magistros Novitiorum suppetere, nemo adeo caecus est qui non facile perspiciat. Si enim ad hostes debellandos strenuos milites adesse necesse est, quis duces strenuos quorum militari prudentia victoriae parantur, non in primis expetendos affirmet? Porro in hunc modum si ad procul arcenda quae imminent, vel ad convellanda quae insunt Religionum vitia (quae sunt hostes saevissimi), Novitios bene instructos ex omnium sapientum consensione impense optamus; quis bonum Instructorem, qui gravissimae ac difficillimae culturae partes expleat, non potissimum optandum existimet?

4. Ratio plane perspicua, functio plane ardua et velut inaccessis scopulis obsepta est. Nos vero, divina primum ope freti, sanctorum deinde scriptis ac spiritualium virorum consiliis adiuti, experientia demum annorum quibus hoc sanctum magisterium a Superioribus iniunctum gessimus (1), confirmati, quam brevissime potuimus omnia quae ad boni educatoris officium pertinere visa sunt, in quatuor huius libri partes discrevimus ac persecuti sumus.

5. In prima scripsimus de Magistri virtutibus, in secunda de Magistri prudentia, in tertia de doctrina Novitiis a Magistro tradenda, in quarta de exercitiis et varia Novitiorum disciplina. Quae certe omnia sanctae Romanae Ecclesiae iudicio subiicimus.

---

(1) Re quidem vera, Ven. Ioannes a Iesu Maria optimus fuit Magister Novitiorum per multos annos. Etenim vix sacerdotio auctus (1590), magister studentium efficitur in Ianuensi conventu S. Annae 1591-1593; et primus Magister Novitiorum in novitiatu a P. Nicolao a Iesu Maria (Doria) noviter erecto in eodem coenobio S. Annae (1593-1598); idem munus deinde exercuit in conventu S. Mariae Scalaris (della Scala) Romae, 1598-1607; 1608-1611

PARS PRIMA

De Magistri virtutibus

CAPUT I

De humilitate

1. Quibus oporteat clarere virtutibus eum qui aliorum praeceptor constituitur, Iesus Christus Sapientia nostra diserte significavit aiens (1): *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, ac si planius sic effatus fuisset: Idoneus praeceptor sum ut a me discatis; rationemque subtexuit dicens: *Quia mitis sum, et humilis corde*, quasi apertius diceret: Ratio ob quam discipuli mei esse et in doctrina mea discenda operam ponere debetis, in promptu est: quia non Magister superbus et impatiens, sed affabilis et mansuetus sum, ac proinde dulcissimo vos magisterio solabor et instruam. Ad hoc igitur exemplar Novitiorum Magister formandus est; quocirca in eius *Instructione* humilitas et mansuetudo primo loco tractandae sunt. Humilitas velut virtutum ceterarum fundamentum hoc capite tradetur; mansuetudinem capite secundo trademus. Quanam humilitate Magister praestare debeat, vel ex hac ratione perspicitur quod sapientia excellere debet, ea videlicet sapientia quae latet prudentes huius saeculi filios. Omnino enim verum est, quantavis doctrina et ingenii perspicacitate quis polleat, non posse huius Magisterii partes explere, nisi divino lumine illustretur; quod et rei tractandae summa, humanisque conatibus inaccessa difficultas, et experientia quotidiana convincunt. Illustrabitur autem, si humilis esse studuerit, sicut scriptum est (2): *Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Magister ergo sibi persuadeat frustra se conaturum, quibuscumque dotibus praeditus sit, nisi humilia de se cogitaverit serioque senserit; et eo sui ipsius despectu diffidens, ad fontem sapientiae pro idonea ad discernendum iudicium luce recurrerit. Eo quippe ipso quod sibi satis sapere videatur, aequa Dei vindicta errare sinetur; et ad aeternum lumen confugere non assuescens, in dies singulos magis excaecabitur. Quicquid ergo didicerit, creberrimis humilitatis actibus Iesu Christo subiiciat; et stultum ac ignarum se esse existimans, sapientiam quotidianis precibus et sacrificio postulet, ut a recto itinere aberrare minime permittatur. Suppetunt efficacissimae rationes et exempla ad hoc humilitatis studium amplectendum. Rationes in hunc modum indicamus.

2. Prima Ratio. Statuamus Magistrum Novitiorum esse plane doctissimum. Certe si doctrina praecellit, sciat necesse est pravum esse

(1) *Matth.*, c. XI, v. 29.

(2) *Ib.*, v. 25.

cor hominis, et inscrutabile, solique Deo sinus illius multiplices patere. Quomodo ergo sine infuso Dei lumine, quod est humilium privilegium, Novitiorum corda, quae explorare necesse est, perscrutabitur? Rationis huius pondus inmensum est. Homines quippe saeculi vitiis et fraudibus assueti, ii praesertim qui sunt maiores natu, quorum conscientiae solent esse laqueis multis implicitae, quomodo absque peculiari Dei luce, quae cordis oculos illustret, prudenter regentur?

3. Ratio secunda. Inter viros rerum divinarum peritos constitutum est clara ingenia et doctrinis multis exculta non modo quando per incogitantiam in educatione Novitiorum quicquam attentarunt, verum etiam quando ex praemeditatione id agressa sunt, in spirituum discretione sive directione graviter errasse. Cum igitur hoc perspectum et experientia probatum sit, manifestum efficitur aliquid defuisse propter quod erratum sit. At non defuit ingenii vis, non doctrina, non praemeditatio. Defuit ergo lux caelestis et Spiritus Sancti directio, qua humilia corda reguntur; ac eo ipso patet defuisse Magistri humilitatem, quae ope divina, non suo quidem ingenio vel doctrina niteretur.

4. Ratio tertia. Si theologice rem expendamus, certum est praeter habitum scientiae et divinam illius habitus conservationem, sine qua in nihilum abiret, ad actualem scientiae applicationem Dei auxilium requiri, sine quo quantumvis egregia scientia nullum actum produceret. Quae quidem theologica ratio ubique vera est; at ubi agitur de actu supernaturali non quocumque sed eximio, ubi copiosius Dei lumen adesse deberet, manifestius suam vim et veritatem ostentat. Iam igitur hac ratione posita, quis non videat animos sibi fidentes et ope divina se ad actus frequentissimos egere non adeo humiliter sentientes, tamquam oculis captos in subtili rerum internarum iudicio hallucinaturos? Profecto sive Magister sit doctrina excultissimus, sive mediocriter peritus, unum superest ad errores vitandos remedium, ut scilicet coram divina Maiestate se prosternat et (quod ad regnum administrandum egit Salomon (3)) humillimo sensu Dei sapientiam et bonitatem imploret.

5. Non desunt ad rem confirmandam exempla permulta. Ioseph erat humillimus corde, qui, postquam Aegyptii humiliaverunt in compedibus animam eius, agente Deo, constitutus est Aegypti princeps et aulae Pharaonis quasi magister, *ut erudiret principes eius sicut semetipsum et senes eius prudentiam doceret* (4). David erat similiter humillimus corde, qui, accepto quoque regno, dum saltaret coram arca foederis (5) dixit (6): *Humilis ero in oculis meis.* Propterea regno et magisterio rerum divinarum idoneus fuit iam inde a principio, quando Deus cordium cognitor *de post foetantes accepit eum pascere Iacob servum suum, et Israel hereditatem suam* (7). Sic non modo temporali administratione sed mira-

(3) III *Regum*, c. III, v. 6-9.
(4) *Ps.* 104, v. 18-22.
(5) II *Regum*, c. VI, v. 14.
(6) *Ib.*, v. 22; apud Hetzenauer (Michael—), O. Min. Cap., *Biblia sacra vulgatae editionis*, ed. crit., Ratisbonae et Romae, Fr. Pustet, 1922, p. 261: *Et ero humilis in oculis meis.*
(7) *Ps.* 77, v. 70-71.

bili divini cultus amplificatione *pavit eos in innocentia cordis sui* (8). Suppetunt exempla recentiora non tantum Sancti Francisci et Dominici quos bonos Novitiorum educatores humilitas usque ad stuporem admiranda fecit, sed aliorum quoque, qui hac aetate nostra superstites sunt vel paulo ante defuncti; quae a Magistris ignorari non decet.

6. His ergo rationibus et exemplis Magister ad humilitatis cultum animetur et tria monita opportunissima, si Novitiorum cordibus potiri cupit, observet. *Primum*, ut internos humilitatis actus frequenter exerceat, propriae cognitionis et fragilitatis memor. *Secundum*, ut nonnullos etiam externos humilitatis actus inter discipulos ipsos obeat, vel aegrotantium cellas everrens, vel matulas et trullas eluens, vel obsoletas lacerasque Novitiorum vestes resarciens, vel sordibus discipulorum pedes lavans, vel similia alia humilitatis officia exequens; quae certe obsequia, si alacriter praestentur, ad animos vehementer commovendos plurimum valent. *Tertium monitum* est, ut a quovis alio, a senioribus praesertim et expertis, discere et sciscitari non dedignetur. Quod si scire cupit quo pacto et tria monita haec et alia quaevis efficaciter observare possit, responsio in promptu est: nimirum ut virtutem humilitatis plurimi faciat et eius honestatem ac suavitatem assidue contempletur. Apparebit enim omni decore mundi formosior et bonum tantae pulchritudinis aestimatorem alliciet. Poterit autem uti precatione hac ad pretiosissimam virtutem hanc impetrandam: Humillime Rex cordium Iesu Christe, per viscera misericordiae tuae, in quibus visitasti nos oriens ex alto, obsecro te, creare digneris in me cor humile et purum, cupidissimum secretae eruditionis tuae, ut in schola humilium discipulorum tuorum fiam dono tuo sapiens ad regendam sine deceptione novellam prolem dulcissimae Genitricis tuae.

(8) *Ib.*, v. 72.

CAPUT II

De mansuetudine

1. Duo sunt quae ad Magistri functiones perfecte obeundas potissimum requiruntur: doctrina scilicet plusquam humana et exemplum. Primum obtinetur humilitate, per quam velut per quemdam aquaeductum sapientia caelestis in animam vilia de se opinantem derivatur, ut spiritu divino plena pascat tyrones verbo; alterum praestat mansuetudo, quae dum animum nullis occasionibus perturbari sinit et externam conversationem sedatam et moderatam producit, utilissimum et iucundissimum vitae praebet exemplum. Cuius certe veritatis ratio satis per se perspicua est. Reddit enim mansuetudinis virtus hominem ab omnibus incompositis motibus quibus proximus offenditur, alienum, ut nec iniuria lacessitus, nec contumeliis affectus, nec importunis negotiis interpellatus a sua tranquillitate dimoveatur; quae hominis plane caelestis imago est. Quam sit autem cultura virtutis huius Novitiorum Magistro necessaria satis convincitur verbis illis proximo capite a Christo allatis (1): *Discite a me, quia mitis sum.* Christus enim, dum discipulos recenter vocatos adhuc rudes erudiret, Magistrum sa-

(1) *Matth.*, c. XI, v. 29.

ne Novitiorum ad vivum repraesentavit, ut necesse non sit aliud magistrorum exemplar intueri. Sed ad tractatus perfectionem rationes aliquot idem evincentes producere consilium est.

2. Ratio prima hac in re. Qui laboriosum magistratum gerunt et subeuntia taedia patiuntur, rebus quoque politice perpensis, sive christiani sive infideles sint, enituntur simulatam saltem aliquam mansuetudinem exhibere. Non enim ad superiores honores et lucra se ascensuros sperant, si impatienter agant et negotiorum gestores irati deterreant. Neque opus est veritatem hanc universarum nationum consensione probatam nimisque notam aliis argumentis confirmare. Erit ergo e Magistri Novitiorum laboriosam praefecturam gerentis officio non fictam, qualem qui Deum non curant, sed veram quae imitatores Iesu Christi deceat, mansuetudinem et ex corde concipere, et mitissimis actibus externis praeseferre. Et quidem ratio haec a genere petita est.

3. Ratio secunda, quae ab specie gubernationis ducitur et propinquior est. Neminem monasticae disciplinae peritum latere potest functionem Magistri Novitiorum esse operosissimam. Nullum quippe tempus sive diurnum sive nocturnum ab accurata novarum plantarum custodia excipiendum est; neque ullum in re rustica culturae genus reperitur quod tam vigilem ac indefessum cultorem requirat. Adsunt ingenia multiplicia: haec acria, illa languida, haec dolosa, illa simplicia, haec tarda, illa velocia, quae tam longe discrepantia ad unam methodum redigere nimis laboriosum est. Adsunt Novitii rudes publice et privatim erudiendi, adsunt tentati roborandi et instruendi, adsunt male affecti indulgenter interdum tractandi, adsunt mortificationis incuriosi passim admonendi, adsunt importuni identidem tolerandi. Succedunt exercitia multiplicia inter se fere contigua, quibus Magister debet interesse. Occurrunt innumerae minutiores caeremoniae, quas debet observare et ad horas pene singulas aliis inculcare. Redeunt in orbem sacrae confessiones et communiones frequentissimae. Subest cura multiplex rerum temporalium, puta vestium, librorum et aliorum similium, subest et cura valetudinis et varia rerum quas percensere non possumus, sollicitudo, quae valida quoque corpora facile enervat. Quae certe omnia si quis in unum congerat et alia plurima inopinata quae Magistro nollenti occurrunt, circumspiciat, fatebitur procul dubio Magistrum Novitiorum virtute mansuetudinis ita praemunitum esse debere, ut ad omnem eventum paratus, etiamsi irae vel tristitiae passionibus intus vexetur, exteriorem saltem mansuetudinis formam numquam deponat.

4. Ratio tertia petitur a gravissimis damnis quae ex mansuetudinis incuria nascuntur. Si enim Magister irasci assueverit per occasiones multiplices quae sive iustae videantur, cum eae occasiones ad horas singulas occurrant, profecto iram in consuetudinem vertet et conversationis dulcedinem ad moderandos aliorum animos summopere necessariam in asperitatem operum ac verborum trahet. Hinc exoritur animorum alienatio: nam qui mortificationis doctrinam nondum didicere, asperitate procul dubio terrebuntur. Hinc enascitur genus quoddam odii, quo Novitii ve-

xari incipiunt, ne consilia Magistri parum mitis amplectantur. Hinc existit multiplex tentatio, quae multos a claustro in saeculum, unde bene recesserant, repellit. Hinc denique pullulat silva malorum multorum spiritualem profectum impedientium, quae veteranis monachis notissima est. Etenim praeter rationes efficacissimas ex clarissimis exemplis Magister ediscet se absque mansuetudine insigni non posse utiliter praeesse. Praefuit salubriter novo Dei populo in unum congregato Moyses; at *erat vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra* (2). Praefuit sancte David; at extant plurima monumenta humilitatis et omnis mansuetudinis eius. Praefuit gloriose monachorum Pater Benedictus; at iis qui venenum propinabant, nesciebat irasci. Praefuere cum laude ceteri disciplinae monasticae conditores aut propagatores, quibus paruit contemptrix mundi iuventus; at si quis eorum historias recolat, mitissimos animos admirabitur. Curet ergo Magister Novitiorum Christi mansuetudinem toto pectore haurire et actibus externis repraesentare. Exhibeat vultum hilarem ac mitem, qui novorum fratrum animos alliciat. Nullis discipulorum culpis irritatus, nullis importunitatibus victus, nulla fragilitate commotus, nullam ruditatem fastidiens, ita se gerat ut nullus, quamtumvis morosus et rudis, scrupulosus aut fragilis, eum adire die nocteque vereatur. Quin etiam studeat se adeo facilem omnibus exhibere, ut Novitii nullo negotio animadvertere possint se Magistrum mitem Dei munere fuisse sortitos. Hac enim facilitatis ostensione mirifice illos capiet et arduam christianae perfectionis viam suaviorem et planiorem efficiet. Hac certe arte corda lapidea in carnea corda convertet et omnem severae disciplinae rigorem temperabit. Quia vero quamdiu mortales sumus et occasionibus praesertim iustis urgemur, irae ex imperio rationis excitatae locus patet, sicut scriptum est (3): *Irascimini, et nolite peccare*, oportet Magistrum irascendi modum addiscere qui Novitiorum culpas depellat et animos minime alienet. Verum modum hunc accurata observatione dignum in proximo capite de caritate et in subsequenti de zelo trademus.

Agitur de culparum correptione in capite de caritate et in capite de zelo.

CAPUT III

De caritate

1. Divinae caritatis virtus actus duos quasi gemellos fratres ex utero uno producit: amorem scilicet Dei ac proximi. Hic vero non de actu illo et velut filio primogenito qui est Dei amor, agemus. Etsi enim Magister Novitiorum divini amoris debeat esse studiosissimus, tractatio tamen haec amoris potius proximorum practicam doctrinam requirit. Primum ergo Magister consideret se novorum fratrum non patrem solummodo sed matrem quoque esse debere, quo nihil aptius cogitare poterit ad mensuram caritatis, qua flagrare debet, explendam. Si enim paterni simul et materni amoris officia copulet, nihil desiderabitur ad sui officii seu magisterii metam attingendam. E-

(2) *Num.*, c. XII, v. 3; Hetzenauer, p. 119: *Erat enim Moyses vir...*

(3) *Ps.* 4, v. 5.

tenim parentes filiis in posterum thesaurizant, matres praesenti officio amoris fovent. In hunc igitur modum spiritualibus consiliis et exercitiis Magister quasi pater Novitios instruat, ut thesauros nondum apparentes in caelo recondant. Eosdem vero praesentibus caritatis obsequiis velut mater consoletur, ut animis corporibusque medeatur. Det operam ut seipsum singulis attemperet, singulorum curam affectu tenerrimo gerat, animae simul et corpori pro necessitate provideat; sitque non animo solum benevolus sed insigni etiam verborum et operum ostensione beneficus, quemadmodum quoad affectus, verba et opera sigillatim tradere paramus. Quod ad affectus attinet, ut Magister officio satisfaciat, cor in Deum intendens amore purissimo unumquemque prosequatur, ita erga singulos bene affectus ut ardenter admodum singulorum salutem et perfectionem cupiat, eamque a Domino quotidianis gemitibus flagitet. Omnino vero altaris sacrificium pro iis quorum gerit curam, per dies singulos offerre meminerit, imitatione illius qui sacrificans dicebat (1): *Ne forte peccaverint filii mei.* Quod si propter culpas, teporem spiritus, ruditatem vel alias eius generis causas sentiat amorem erga aliquem defervescere, multo conatu et orationis instantia eam tentationem propulsare nitatur. Coniiciat oculos in Magistrum caelestem ac dulcissimum Redemptorem nostrum qui Apostolos rudes, abiectos et multis etiam passionibus obnoxios numquam fastidivit, sed amavit eos, pertulit eos et suavissima dilectione erudivit eos. E contrario si aliqua de causa, puta ob eximiam virtutem, ingenii perspicacitatem aut alias naturae seu divinae gratiae dotes, sentiat se in aliquem fieri propensiorem quam in alios, attente consideret ne amoris modum excedat. Etsi enim is affectus ferri possit, quando ob egregiam sanctitatem vel etiam dotes alias bonas generatur, nec exui possit quoties libet, timendum est tamen ne degeneret, ut cum bono spiritu coeperit, spiritu non bono consummetur. Quamdiu autem is affectus servet (et secluso eo singulari affectu universe quovis tempore et loco ubi ab aliis possit deprehendi) cavere debet ne singulari verborum et operum ostensione aliquem se prae aliis amare significet. Nocebit enim aliis vehementer, si rem hanc minus caute perpenderit. Dum enim uni dumtaxat coram aliis eiusdem boni avidis beneficium confertur, aegre ferunt alii eo se privari et sibi alium quemvis anteponi. Sit ergo aequus magister et bonus boni communis aestimator. Haec de affectu.

2. Quod ad sermonem spectat, studeat Magister sive privatis in colloquiis, sive in communibus exhortationibus, sive etiam in culparum correptionibus verba melle caritatis imbuere et sermonem spiritu lenitatis temperare, certoque sibi persuadeat verborum asperitatem, nedum contumeliosas increpationes, spirituali profectui viam praecludere. Aut enim eiusmodi verba corde summisso audiuntur, aut secus. Si secus, exploratum est cor inde magis obdurari et correptoris odium concipere. Si patienter audiuntur, timor ut plurimum non filialis, sed servilis ac proinde violentus generatur. Omnino autem

(1) *Iob.*, c. I, v. 5.

compertum est ad perfectam caritatem eo timore corda parum proficere. Si autem lenis sermo sit, ita ut non praeceps aliqua passio, sed Christi caritas eum proferre videatur, sensim illabitur in cor et illud emollit. Asperiora quippe verba quasi iacula cor elidit ne vulneretur; lenia vero quasi mollia quaedam fomenta libenter accipit. Quocirca Iesus Christus ipse Magistrorum exemplar suavissimis potius instructionibus quam increpationibus rudes adhuc discipulos erudiebat. Cuius in schola Paulus eruditus methodum correptionum praescripsit aiens (2): *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Non inquit: arguite, corripite vel aliquid eiusmodi, sed *instruite.* Neque inquit: vos instruite, sed *Vos, qui spirituales estis, instruite;* ac si apertius dixisset non esse virorum spiritualium, hoc est, eorum qui a Spiritu Sancto aguntur, invehi vel commoveri adversus delinquentes, sed potius verborum et actuum lenitate illos non tam carpere quam ad salutem instruere.

3. Iam vero si in culparum correptione, ubi culpae id videntur exposcere, adhuc oportet lenire sermonem, minime dubium erit in exhortationibus ad virtutes acquirendas, vitia extirpanda, mundum contemnendum et similibus aliis non esse miscenda acria verba; ex eo, inquam, verborum genere quibus nonnulli contionatores ad christianam perfectionem nituntur cor violenter impellere. Sint ergo verba Magistri suavia et Spiritus Sancti unctione delinita; et iis plane verbis certo speret se corda Novitiorum quasi iaculis confixurum. Sic enim spiritu Iesu Christi agetur tamquam idoneus eius minister, eius nempe de quo scriptum est (3): *Molliti sunt sermones eius super oleum: et ipsi sunt iacula.* Si vero culpae (ut decet) corripiendae sint, culpam sic a persona secernat ut interim dum culpam reprehendit, personam diligere videatur. Quod certe assequetur, si abstracte culpae deformitatem repraesentet, ut personae ipsi discipliceat et personam intercalatis verbis blande alloquatur tamquam rem sane amabilem et a culpae turpitudine longe diversam. Vitet, quoad poterit, verba magisterii auctoritatem redolentia, et velut unus e discipulis, non quasi iam perfectionem adeptus, verum tamquam in agone contendens et sequens si quo modo comprehendat (4), comitem et participem laborum se illis adiungat. Sic enim cordibus illorum dominabitur. Haec de verbis.

4. Quod vero ad opera pertinet, singulari amoris significatione non solum in spiritualibus, quae potiorem locum obtinent, sed etiam in corporalibus necessitatibus discipulis adsit, sive valeant, sive aegrotent. Et nonnullas quotidianae disciplinae intermissiones, cum eos refectione, somno vel aliis commoditatibus indigere deprehendit, indulgeat. Quin etiam et tempus antevertat aliquasque eiusmodi modicas et raras intermissiones non usque adeo necessarias, iis praesertim qui sunt natu minores et delicatiores, per obedientiam iniungat. Vix enim dici potest quantam vim eiusmodi patris in filios indulgentia

(2) *Ad. Gal.*, c. VI, v. 1.
(3) *Ps.* 54, v. 22.
(4) I *Cor.*, c. IX, v. 24-25.

habeat ad cursum perfectionis incitandum. Adolescentes quippe quos austeritatis metus a statu monastico retardabat, quique externa tantummodo haec corporis incommoda formidabant (nam luctas internas his graviores non didicerant), cum animadvertunt Magistrum non ad eos laboribus vexandos, sed potius recreandos esse pronum, carnis curam in eum coniiciunt quem benignum experiuntur, et liberius se totos spiritualibus exercitiis tradunt. Contra vero, si in eo genere Magistrum severum offendant, non modo non celerius currunt, verum prae anxietate et metu severitatis aut sui curam non deponunt, aut certe ab incepto monasticae vitae statu desistunt.

5. Iam igitur si corporalia adeo commendanda sunt ad novas Dei plantas colendas, quid hic de caritatis actibus ad spiritum alendum praestandis addendum esset? Nemo magisterio isto dignus censendus est, qui cum infirmis Apostoli more non infirmatur, qui cum aliis scandala patiuntur non uritur (5). Intueatur ergo Magister post Iesum Christum Redemptorem nostrum, qui est primum exemplar, Pauli Apostoli animum et actus ad officium hoc explendum opportunissimos. Suo enim officio exacte satisfaciet, si Apostolum repraesentare studuerit. Exhibuit quippe se uno praesertim caritatis officio in Ecclesiae nascentis filios, qualem in claustro se gerere debet Magister erga recenter indutos. Eo usque enim flagravit in filios quos in Christo genuerat et semel ac iterum parturire consueverat, ut multiplici transformatione, modo in patrem, modo in matrem, modo etiam in nutricem mutatus, singulorum personas induens, singulorum mala patiens, singulorum bonis exsultans, omnibus omnia fieret, ut omnes faceret salvos (6). Quocirca non modo iis praescriptionibus quae de affectibus, verbis et operibus superius traditae sunt, sed et quibusvis aliis modis quos ei divinus Spiritus suggesserit, in corda discipulorum se insinuare et singulorum quasi nutrix fieri curet. Quicquid autem in hoc genere laboris posuerit, eo directurum est ut corda discipulorum capiat et eos, iuxta Apostoli documentum, quasi virgines castas uni viro, hoc est, Christo despondeat (7). Fieri quippe non potest ut per iustitiae vias eos feliciter ducat et Christo coniungat, nisi ab eis ametur. Necesse enim est ut sine ambiguitate ulla Novitii Magistro suo omnes affectus suos prosperos sive adversos, motus omnes, passiones, tentationes, consolationes, desolationes ac denique bona et mala universa quibus quovis modo afficiuntur, posito timore, verecundia seu quocumque alio respectu, fidentissime detegant. Quomodo vero inducentur ad res has difficiles superandas et secreta haec aperienda ei quem minime diligunt? Profecto sine amore ac fiducia inde orta victoria haec neutiquam speranda est. Cum ergo exploratum sit sine victoria cordium Magistrum spiritualibus morbis Novitiorum non posse succurrere, neque vero sanari incipientes persanare, navet operam ut ab eis quos impense amare debet, reciproce ametur. Et hanc unam e potissimis praeceptionibus quae ad

(5) II *Cor.*, c. XI, v. 29.
(6) I *Cor.*, c. IX, v. 19-23.
(7) II *Cor.*, c. XI, v. 2.

spiritualem profectum tradi solent, existimet. Excogitet modos quibus oportune utatur ad discipulos erga seipsum adeo bene afficiendos, ut quamtumvis passionibus et tentationibus agitati non quaerant peregrina aliorum Religiosorum solatia, sed in uno Magistro omne remedium ac solatium se habere confidant. Et ut nihil intentatum in hoc christianae caritatis officio relinquat, paternis visceribus eos hortetur ad interiores omnes perturbationes sibi detegendas, diserte aiens rem fore sibi iucundissimam, tametsi diuturnam et gravissimam inferendae Magistro mortis tentationem aperirent. Et ne verba levia esse videantur, si quando aliquis gravia tentamenta revelet, illum amantissime audiat et singulari amoris ostensione peculiarem illius curam gerat. Sic enim brevius quam explicari possit, animi vehementer commoti dulcissimaeque caritatis stimulo incitati viam quam per menses fortasse multos aggredi formidarunt, paucorum dierum alacritate conficient. Sic etiam ex uno Magistri experimento convicti in supervenientibus afflictionum et passionum motibus ad eundem celerius et fidentius revertentur, eiusque monita tenacius apprehendent. Ut vero discipulis omnibus fiduciam ingeneret noxiumque illis pudorem seu timorem adimat, primos interdum imperfectionum motus quos patitur, illis prudenter detegat, ut ii non eum Magistrum se habere credant qui non possit compati infirmitatibus eorum.

6. Haec de caritate, tenuiter quidem, pro tantae virtutis dignitate et necessaria Magistri instructione notavimus. Verum graviter admonemus debere Magistrum e capitibus et quasi fontibus his plurima alia ad quotidianos et multiplices eventus studio multo derivare, si velit novam Dei prolem (ut decet) excolere. Postulet a Deo sapientiam hanc et dabitur ei affluenter; et lapides vivos ad structuram caelestis Ierusalem exquisitos quos habet in manibus, ut sapiens architectus coaptabit.

CAPUT IV

De zelo

1. Necesse est eum qui boni communis non cuiusvis sed plane maximi curam gerit, ita Dei zelo flagrare ut vere dicere queat (1): *Zelus domus tuae comedit me.* Zelus hic stimulus quidam et divini amoris effectus est, a zelo seu zelotypia corporeae pulchritudinis alienissimus. Zelotypia quippe consortes rei in quam fertur, ferre non valet. Dei vero zelus universas creaturas pro captu quamque suo in divinae bonitatis, quam respicit, consortium admittit ac pro viribus inducit. Hoc ergo zelo Magister ardentissimae caritatis igne succensus aestuare debet, ut videlicet non modo eos quos regit, in Dei consortium et monasticae perfectionis culmen nitatur perducere, verum et eo zeli pertingat ut vix ferre valeat ullum eorum quos educat, esse christianae illius perfectionis exortem. Ex eo quippe zelo in opus sibi creditum totus incumbet dabitque operam ut Novitii omnes cursum perfectionis certis legibus et ritibus percurrendum constanti aemulatione conficiant. Quia vero ex hoc ipso zelo multa Magister erga alios in culparum correptione legumque

(1) *Ps.* 68, v. 10.

observatione effecturus est, in quibus oportet eum labe carere, omnino sibi persuadeat potissimum eius zeli fructum propriam esse iustitiam, nec zelum esse sed audaciam vel caecitatem nimiam, dum ipse lente procedit, neque de se corrigendo serio cogitat, alios ad profectum grandi verborum exaggeratione perurgere. Se quippe ipsum eisdem adhortationibus quibus alios instruit, proculdubio arguit et vitae suae deformitatem apertius quam si taceret, ostentat; atque per hoc ipsum nihil dicendo proficit. Sit ergo Magister irreprehensibili integritate conspicuus Institutique proprii fidissimus observator. In regulae, constitutionum, instructionum et caeremoniarum observatione sit maxime sedulus; et in passionum ac sensuum mortificatione studioque virtutum esse curet eximius. Haec nimirum omnia zeli lex a Magistro exacte requirit, ut inculpata eius vita Novitios instruat, corripiat, hortetur atque perficiat. Et haec quidem Magistri animo perenniter impressa permaneant. Quando vero discipulos moniturus vel correpturus est, prius introspiciat si forte bono ad quod alios exhortari cupit, ipse careat, vel malo a quo alios cogitat dehortari, laboret; ne, cum aliis praedicaverit, ipse reprobus fiat (2). Postquam ergo Dei zelo Magister seipsum examinaverit et composuerit, ad discipulorum profectum serio admodum eum zelum exercebit sive in culparum correptione, sive in adhortatione ad passiones subiugandas ac virtutes acquirendas, sive in assiduis monitis ad Instituti ac legum propriarum amorem et observationem, quae sunt tria capita exercendo erga Novitios zelo oportunissima, ordine observato, tractanda.

2. Quod attinet ad caput primum, hoc est, ad zelum quo culpae redargui debent, necesse est duo expendere : radicem videlicet ac speciem culparum. Radices sunt habitus vitiosi, consuetudines pravae et passiones indomitae, in quas debet Magister falcem mittere. Quamdiu enim non resecantur, culpas germinabunt. In specie culparum ex obiecto et circumstantiis et ex lege in quam peccatur, gravitatem metimur. Gravior enim (quod ad leges spectat) culpa est Decalogi quam regulae, regulae quam constitutionum, constitutionum quam caeremoniarum transgressio. Erga culpas igitur universas attente Magister inspiciat radicem et voluntatem cum specie culparum. Radicem quidem, ut in correptionibus et remediis adhibendis semper ad eam extirpandam animum intendat et discipulos ad eam dignoscendam erudiat. Immensae quippe utilitatis est ut qui spiritualibus morbis, hoc est, vitiis aegrotant, se iis pravis affectibus laborare cognoscant crebroque considerent, ut remedia quaerant et exerceant. Ex defectu enim doctrinae huius in religionibus iam laxatis infelices religiosi graviter affecti tanquam phrenetici ad mortem usque laborant, neque remedium exquirunt. Voluntatem vero cum specie culparum Magister ponderabit, ut nec tam acriter corripiat quam exigit culpae species, si parum voluntaria fuerit; nec tam suaviter, si voluntatis malitia excreverit. Solet enim monachus vim voluntatis tantam ad ridiculas res quas in saeculo neglexisset, confer-

(2) I *Cor.*, c. IX, v. 27.

re, quantam in divitiis vel honoribus mundi maximis posuisset. Cum enim appetitui nondum mortificatio pinguiorem mundi pastum abstulerit, avide ac rapide fertur in ea bona apparentia quae intra claustra valet invenire; quod oculate notandum est. Postquam ergo Magister culparum species circumstantiasque perpenderit, animo sedato ubi tempus decretum accesserit, ad correptionem modo statim describendo procedat. Dictum est « *animo sedato* », debet enim accuratissime cavere ne cum se intrinsecus perturbari sentit, aliquem corripiat; sed correptionem in tempus animi tranquilli proroget, nisi cum ex officii obligatione cogitur mox corripere. Vix enim umquam perturbatus animus saluti proximorum profuit. Quando igitur sive sedato animo, sive propter instantem officii obligationem adhuc inquieto correptio exercenda est, ita se Magister gerat ut (quod in capite de caritate monuimus) culpam a persona discernat, ut pateat eum non adversus personam sed adversus culpam exardescere. Semperque, ut superius dicere coepimus, dum corripiet, non tam culparum superficiem quam in radices earum oculos mentis diriget, ut scilicet noxias radices vitiorum et passionum extirpet; nam quandiu non revelluntur, culpas novas germinabunt. Pinget in exhortationibus culparum turpitudinem tam exacte, ut discipuli vel pictas oderint, doceatque vel minima culpa plus mali ac deformitatis inesse quam in universis cruciatibus inferni. Moneat culpas etiam minimas incipientibus esse perniciosas, tametsi adultis non ita nocerent. Modica enim laesio tenellam plantam arefacit, quae non laedit adultam. Etenim si Novitiorum animis Dei zelo culparum execrationem ingenerare studuerit, decorem domus Dei insigniter augebit, et ad cursum perfectionis illos vehementer incitabit. Haec de primo e tribus capitibus ubi zelus exercendus est.

3. Caput zeli secundum latissimum Magistro campum aperit, dum caedendam vitiorum passionumque silvam et virtutum arduitatem superandam obiicit. Huc quippe Magistri vires in communibus exhortationibus, privatisque colloquiis, et quovis alio communicationis genere conferendae sunt; et hoc proprium zeli officium est, ut ab iis quos Deo conciliare cupit, auferat quod puritati ad unionem divinam requisitae obstat, et conferat (quoad per eum fieri potest) id per quod unio illa caelestis celebranda est. Docebit ergo modum passiones mortificandi et virtutes acquirendi quibuscumque mediis modisque valuerit; uteturque ad hunc finem *Instructione Novitiorum*, ubi (3) de re hac distincte abundeque disseruimus. Id quippe ipsum quod Novitii propriam *Instructionem* legentes ediscunt exercereque constituunt ad passionum virtutumque victoriam, a Magistro vivae vocis oraculo tradendum et amplificandum est.

4. Iam vero ut tertio zeli capiti satisfaciat, ubi proprii Instituti ratio in primis habenda est, consideret Magister se discipulos instruere ad unam unius Religionis disciplinam, quam, si perfecti religiosi esse velint, plurimi facere ac intime diligere debent. Quapropter det operam ut ad Regulae, Consti-

(3) *Instructio Novitiorum*, part. I et II; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 140a-204b.

tutionum caeremoniarumque propriarum custodiam sic afficiantur, ut ex aliis disciplinis nihil iis sapientius, vel utilius, vel amabilius videri possit. Hortetur saepenumero ut sint boni status proprii aestimatores et vel minimos ritus amore summo prosequi et profuso quoque sanguine observare constituant. Moneat frequenter ut hanc unam suae Religionis disciplinam omnibus aliis anteponant. Etsi enim aliae quoque perfectae aut fortasse perfectiores sint, at non omnes promiscue singulis congruunt. Ordine quippe miro divinae Sapientiae videmus coetus religiosorum esse discretos, et instinctu diverso alios in haec, alios in alia claustra vocari, ubi arreptam semel peculiarem monasticae vitae rationem a Deo inspiratam non licet alienis doctrinis posthabere. Instituti ergo proprii observationem crebro inculcabit docebitque singulos Religionis actus et ritus tam rigide a veris professoribus observari debere quam si gravia praecepta essent quae mortalis culpae reatu transgressores innecterent. Cuius certe aestimationis ratio identidem repetenda est, nempe quod per singulas, etiam levissimas, caeremonias expressa Dei voluntas innotescat, quae veros monachos aeque movere debet ac bonos saeculares graviora praecepta moverent.

5. Sunt et alia permulta quae Dei zelo Magistrum urgere debent, quae ipse in hac ipsa sua *Instructione* perspiciet et per se quoque extra *Instructionem* hanc deprehendet; quorum studium illi impense commendamus. Evigilet qui custodit Israel et vulpes parvulas capiat, ne florentem vineam demoliantur (4). Exploret uniuscuiusque ingenium et mores, consideretque num aliquis teneris Dei foetibus clam noceat. Curas omnes alias abiiciat et in hanc unam omnes animae vires conferat. Pascat novellum gregem ex animo, et veri pastoris more, universis communibus actibus Novitiorum intersit: zelus quippe non fert ut ab ullis eorum actibus levi praetextu absit. (Hic impense commendandum foret eorum qui in Religionem admittuntur, examen. Sed functio haec non solum Magistri est). Denique ut caput hoc monito uno quod zeli propriissimum est, claudamus, vigilantissime animadvertat num aliquis e Novitiis statu in quem vocatus est, abutatur; an sit audax, ignavus, loquax, inverecundus, piger, orationis et praesentiae Dei incuriosus, ad actus communes tardus, intemperans, contentiosus aut aliis eiusmodi vitiis notatus; et si post sedulam culturam non serio resipiscat, exclusis apparentis misericordiae rationibus, det operam ut e claustro expellatur antequam contagio vitiorum quibus laborat, alios inficiat. Hic quippe zelus Deo acceptissimus et Religioni saluberrimus est; sine quo Magister, quantumvis aliis virtutibus praestaret, officii sui partes explere nequiret.

(4) *Cant.*, c. II, v. 15.

CAPUT V

De oratione et studio rerum divinarum

1. Nemo educationi Novitiorum iure praefici potest, qui orationis studio deditissimus non sit; quod multis rationibus evincitur. Et primum quidem virtutes eas quibus ad officium exequendum indiget, non valet quantavis sedulitate pa-

rare, si viribus humanis vel ordinariis aliorum religiosorum exercitiis dumtaxat innitatur. Eget quippe virtutibus eximiis et singulari Dei sapientia, ut ex iis quae de humilitate scripsimus, coniici potest. Quocirca unum ei superest remedium ad omnia bona paranda malaque omnia procul arcenda praesentissimum, orationis videlicet studium, ubi perenni animi elevatione auxilium perenne deposcitur et impetratur.

2. Subest ratio secunda plane efficacissima. Magister enim ita rerum divinarum debet esse consultus, ut plurimas et quotidianas difficultates Novitiis in oratione subortas facile dirimere possit. At quo modo dubia dissolvet qui eius doctrinae imperitus est? Augetur huius rationis vis, si eventus multiplices in quibus Novitii anxie laborant, expendamus. Experimentis enim plurimis novimus angelum Satanae pro lucis angelo novis religiosis adhuc rudibus seipsum obtrudere; quomodo ergo verum a falso secerneret qui modice spiritualis est?

3. Ratio tertia petitur ab exemplo quod ad erudiendos Novitios, quemadmodum et alios homines, vim habet insignem. Manifestum est autem non apud claustra reformata solum, sed, ex communi omnium confessione, semper creditum fuisse eos in Magistros Novitiorum eligendos esse qui orationis studio vel apparenter dediti sint. Neque enim sibi vel ipsi orationis imperiti persuadere possunt hominem parum devotum (ut vulgo dicunt) iis quos devotio ducit in claustra idonee praeesse ac prodesse valere. Ad officium ergo boni Magistri pertinebit non apparenter, sed vere id praestare sine quo ex omnium proborum ac improborum consensu officio satisfacere non posse existimatur. Et quidem ratio haec licet ob constantem omnium existimationem movere debeat, ex eo tamen Magistri animum potissimum debebit impellere quod vera sit et bono exemplo nitatur. Qua enim ratione Novitii rerum caelestium studio iugiter vacabunt, si Magistrum iis rebus modicum tempus impendere perspexerint? Etenim difficillime flectentur, fientque velut arentia ligna, et in dies magis obdurabuntur, erroremque gravissimum Magistri autoritatem confirmabunt.

4. Ratio quarta dicitur a tradenda doctrina. Necesse quippe est Novitios orandi modum diserte docere: a primis enim diebus hoc spiritu instruendi sunt, si adsit verum salutis eorum desiderium. Iam igitur aegre poterit alios ut par est erudire, qui non ex professo studium orationis exercuit et per se quae docet experiri conatus est. Profecto Magister tam debet orationis esse peritus ut more fundibulariorum Gabaa qui capillum iacto lapide tam certo percutere posse credebantur, ut lapis in alterutram partem minime deferretur (1), subtiles cogitationes capillis notatas absque errore intersecare et sincerum ab simulato secernere possit; quod ad scientiam sanctorum spectat. Ulterius vero, quod ad exemplum attinet, adeo debet studio orationis insistere ut Novitii alia admonitione quam Magistri exemplo non indigeant ad orationem constantissime frequentandam. Vacet ergo intentissime rerum divinarum

(1) *Iudic.*, c. XX, v. 16.

studio et mysticae theologiae non speculationi tantum, sed gustui quoque quoad poterit seipsum vitae puritate et unionis divinae amore coaptet. Dei praesentiam menti impressam fidissima memoria et cordis vigilia servet, ut caelesti lumine perfusus ipse proficiat et Novitios ad spiritualem profectum accepta e caelo luce promoveat. Doceat Novitios orandi modum et alia huc spectantia, quae ipse sanctorum Patrum lectione, seniorum consiliis experimentisque didicerit. Qua in re si strenue se gerat, singularem discipulorum profectum et sibi cumulatum a Domino praemium merito sperabit. Si enim discipulos rerum caelestium studiosos fecerit, opus insigne patrabit, unde singularis Dei gloria singulareque Religionis bonum emanabit; quod clementissimus Redemptor noster Iesus Christus solet ample remunerare.

CAPUT VI

De lectione et catalogo librorum

1. Quia hominis animus mortali corpore clausus, quantumvis rerum caelestium studio addictus, ipso carnis pondere a proposito importune divertitur, naturae inconstantia eam iugem cordis intentionem ferre non valente, salutare consilium est spiritualem vitam diversorum exercitiorum varietate condire. Quocirca Magister quem ad perenne studium orationis adhortati sumus, lectionem piam orationis altricem saepe repetat, et oratione ac lectione vitam contexat, eiusmodique texturam discipulis summopere commendet; quod his rationibus efficiet:

2. Ratio prima. Lectio repetita, uti nunc indicare coepimus, taedium quod a perenni unius formae studio natura patitur, extenuat: quia suavius quiddam est animam operi arduo insistentem per intervalla relaxare quam perenniter eiusdem operis arduitate premere. Accedit huc quod lectio ipsa animum non conantem (ut in oratione) solet, sed alienos labores absque conatu recensentem, conceptus varios pro lectionis varietate suaviter format et genus quoddam delectationis sensim illabentis percipit.

3. Ratio secunda. Lectio a piis praesertim animis recteque compositis usurpata docet multa, quae ne orando quidem addiscuntur. Divina quippe Sapientia sanctis Patribus multa revelavit quae illi scripto digesserunt, ut nos inde erudiremur. Neque postulandum est ut nobis passim eiusmodi secreta revelentur, quandoquidem e sanctorum scriptis possumus illa cognoscere ac in bona nostra privata derivare.

4. Ratio tertia. Lectio pia, sedata alteque perpensa pios animos vehementer commovet et salubrior plerumque quam oratio ipsa existit; quod experientia crebra convincit. Etenim si, ut e vulgatissimis patet historiis, multi qui in culpae luto iacebant, fortuito librum aliquem arripientes ac aegre legentes, repente commoti, emolliti ac in Dei filios mutati sunt, quid fiet iis qui non perfunctorie sed casto ac sincero proficiendi ac Deo placendi studio sancta lectione pascuntur? Profecto immensa inde lucra proveniunt. Provenit certe (ut de re nostra dicamus) Magistri illuminatio, pia et utilis oblectatio, cordis emollitio, caelestia desideria et concepti in oratione caloris fomenta, quae lectoris ipsius bona sunt. Provenit praeterea clarior notitia doctrinae sanctorum Patrum ac virorum spiritualium, qua Magi-

ster imbutus fit in dies aptior ad Novitios publice privatimque instruendos; quod est maximum boni communis incrementum. Magister ergo his rationibus flexus sit piae lectionis studiosissimus; et sibi aliisque quorum curam gerit, exercitio plane suavissimo consulere pergat. Verum quia non modica ex bono librorum delectu utilitas existit, subiecto catalogo utatur quam frequenter poterit.

Catalogus librorum Magistri.

5. Sancta Evangelia; Epistolae Pauli; Basilii Ascetica (1) et Regulae (2); Gregorii *Moralia* (3) et *De cura pastorali* (4); Augustini *Confessiones* (5), *Meditationes* (6) et *Soliloquia* (7); *Opuscula* Bernardi (8); *Opuscula* Sancti Bonaventurae (9); Cassiani *opera* (10); Hugo de Sancto Victore *De claustro animae* (11); Richardus de Sancto Victore (12); Humbertus *De eruditione religiosorum* (13); Climacus (14); Innocentius (15) et Gerson *De contemptu mundi* (16) et alia Gersonis *opuscula* (17); Thomas de Kempis (18); *Tractatus* beati Vincentii *de vita spirituali* (19); *Opera* Blosii (20); *Opuscula* Dionysii Cartu-

(1) Migne, P. G., t. 31, col. 619-692.

(2) *Regulae fusius tractatae*, Migne, P. G., t. 31, col. 889-1052; *Regulae brevius tractatae, ib.*, col. 1051-1316. — Cf. etiam Basilii *Moralia*, t. c., col. 699-888; et *Constitutiones asceticae, ad eos qui simul aut solitarie vivunt*, t. c., col. 1321-1428.

(3) *Moralium libri, sive Expositio in librum Job.* Migne, P. L., t. 75, col. 509 — t. 76, col. 782.

(4) *Regulae pastoralis liber, ad Joannem Episcopum civitatis Ravennae*, Migne, P. L., t. 77, col. 13-128.

(5) *Confessionum libri tredecim*, Migne, P. L., t. 32, col. 659-868.

(6) *Meditationum liber unus*, Migne, P. L., t. 40, col. 901-942. Hoc opusculum inter opera spuria numeratur, cf. Migne, t. c., col. 897-902.

(7) *Soliloquiorum libri duo*, Migne, P. L., t. 32, col. 869-904. Hoc opus genuinum distinctum est ab opere spurio cui titulus *Soliloquiorum animae ad Deum liber unus*, Migne, P. L., t. 40, col. 863-898; cf. *ib.*, col. 863-864.

(8) Cf. *Opera S. Bernardi*, Migne, P. L., t. 182-185-bis. Notandum est sat multa opuscula spuria esse.

(9) Cf. *Opera omnia*. Ed. crit., Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1882-1902, 10 t. in-fol.; *Opera omnia*, ed. cura et studio A. C. Peltier, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, 15 t. in-8°. Notandum est multa opuscula *certe spuria* esse, alia autem *dubie spuria; certe spuria* in laudata editione critica non inveniuntur, bene vero in editione Peltier. Cf. ed. crit., t. VIII, *Prolegomena*, pp. VIII-CXXIV; t. X, *Dissertationes de scriptis et vita S. Bonaventurae*, Dissertatio I, part. I-II, pp. 1a-30a.

(10) Ioannes Cassianus, *Opera omnia;* Migne, P. L., t. 49-50.

(11) Migne, P. L., t. 176, col. 1017-1182. — *De claustro animae* opus spurium est, quod probabiliter Cardinali Hugoni de Folieto († 1174) debetur; cf. Migne, t. c., col. 1181-1184.

(12) *Opera omnia*, Migne, P. L., t. 196, col. 1-1366.

(13) Humbertus de Romanis, O. Pr., *De eruditione religiosorum Praedicatorum libri duo;* Romae, typis Antonii de Rubeis, 1739 in-4°.

(14) S. Ioannes Climacus, *Opera omnia;* Migne, P. G., t. 88. *Scala Paradisi*, col. 631-1164; *Liber ad pastorem*, col. 1165-1210.

(15) Innocentius III, *Opera omnia*, Migne, P. L., t. 214-217. Eius *Regesta* continentur t. 214-216, cum supplemento in tomo 217; at eius *Opuscula* in tomo 217; ut., v. gr., col. 701-746 eius *De contemptu mundi sive De miseria conditionis humanae libri tres.*

(16) Opusculum *De contemptu mundi* est celebre opus Thomae a Kempis *De imitatione Christi*, olim sub titulo *De contemptu mundi* cognitum et a quibusdam Ioanni Gerson adscriptum. — Cf. editio Michaelis Iosephi Pohl *Thomae Hemerken a Kempis Canonici regularis Ordinis S. Augustini Opera omnia*, Friburgi Brisg., Herder, 1910, t. II, pp. 5-263: *De imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.*

(17) Ioannes Gerson, *Opera omnia*, Antverpiae, sumptibus Societatis, 1706. 5 t. in-fol.

(18) Thomas Hemereen a Kempis, Can. reg. O. S. Aug., *Opera omnia*, ed. Michaelis Iosephi Pohl, Friburgi Brisg., Herder, 1910. 7 t. in-16°.

(19) S. Vincentius Ferrerius, O. Pr., *Tractatus de vita spirituali*, Lovanii, apud Ioan. de Winghe, 1554, fol. 1r-46v.

(20) Blosius (Ludovicus—), Abbas Laetiensis, *Opera*, Coloniae Agrippinae, Maternus Cholinus, 1589. in-fol.

siani (21); Tauleri *Institutiones* (22); Albertus Magnus *De Virtutibus* (23); Landulphus *De Vita Christi* (24) et alii similes.

Libri vulgares.

Opera P. Fr. Ludovici Granatensis (25); *Opera* P. Avilae (26); *Opera* P. Didaci Perez (27); P. Arias *De Oratione et mortificatione* (28); *Opera* B. Theresiae (29) et alii similes libri.

Libri historici.

Sancti Gregorii *Dialogi* (30); Gregorius Turonensis, *De gloria Confessorum* (31) et *Vita Sancti Martini* (32); Eusebii *Historia ecclesiastica* (33); Theodoreti *Historia religiosa* (34); *Vitae Patrum selectae* (35); *Speculum exemplorum; Vitae Sanctorum* Lippomani (36) et Surii (37); Petrus Damianus (38) et Petrus Cluniacensis, *De miracu-*

(21) Dionysius Cartusianus (alias van Ryckel), *Opera omnia*, Monstrolii-Tornaci, typis Cartusiae S. Mariae de Pratis, 1896-1912, 41 t. in-8°. — Opuscula maxime adsunt tom. XVI et XXXVIII-XLI.

(22) Taulerus (Ioannes—), O. Pr., *Opera omnia, a R. F. Laurentio Surio Carthusiano in Latinum sermonem translata*, Coloniae, Apud Arnaldum Quentelium, 1615; *Institutiones*, pp. 672-785. — Notandum est ultimum caput (39), *Institutionum*, pp. 778-785, Eckardo Seniori deberi.

(23) *Compendium theologicae veritatis in septem libros digestum*, lib. V De gratiarum sanctificatione, cap. 1-37 De virtutibus; *Opera omnia*, Lugduni 1651, t. XIII, pp. 87a-104a; cetera capita agunt de donis, de beatitudinibus, de sensibus spiritualibus et de fructibus.

(24) Landulphus, Cartusianus, *In meditationes vitae Christi: et super Evangeliis totius anni: opus divinum*, Venetiis, Per Simonem Papiensem, M.CCCC. L XXXXVIII. in-4°. — Hoc opus in Hispania saeculis XV-XVI notum valde erat sub nomine *Cartuxanos;* aderant quippe versiones catalaunicae, hispanae et lusitanae. Cf. R. Hoornaert, *Sainte Térèse écrivain*, Bruges, Desclée-De Brouwer, 1922, pp. 340-344.

(25) *Obras*, optima editio critica rev. Patris Iusti Cuervo, Matriti 1906 sqq. Bona est etiam illa rev. P. Antonii de Sancha, 1781-1782, 8 tom. in 18 vol.

(26) *Obras*, ed. J. Fernandez Montaña, Madrid 1901. 4 t.

(27) Didacus Pérez de Valdivia, auctor asceticomysticus saeculi XVI (natus 1509 vel 1510, mortuus 28 febr. 1589), varia opera conscripsit, ut, v. gr., *Aviso de gente recogida y especialmente dedicada al servicio de Dios*. Baeça, por Juan Baptista de Montoya. Año de 1596; Valencia 1613; Madrid 1688. — *Camino y puerta para la oracion*. En Barcelona, en casa de Hieronymo Genoves 1584; 1588. — *Documentos particulares para la vida heremitica*. Barcelona en casa de Pedro Malo 1588. — *Tratado de la alabança de la castidad*. Barcelona, por Jayme Cedrad. 1587. — Circa vitam et opera huius auctoris cf. P. Vicente de Peralta, O. M. Cap., *El doctor Diego Pérez de Valdivia escritor místico del siglo XVI*, in *Estudios franciscanos*, vol. XXVII (1921, num. 173-174-175), pp. 417-465.

(28) Arias (Franciscus—) S. I., *Aprovechamiento espiritual. Va dividido en dos partes: En la primera se contienen los tratados siguientes. Exhortation al aprovechamiento espiritual. Desconfiança de si mismo. Rosario devotissimo de los cinquenta mysterios. Imitacion de nuestra Señora. En la segunda parte se contienen estos tratados. De la Oracion mental. De la Mortificacion. Apendice del buen uso de lo sacramentos. Exercicio de la presencia de Dios: Como se vera en la pagina siguiente.* Impresso en Valladolid en casa de Diego Fernandez de Cordova y Oviedo. Año 1593 y 1592. 2 t. in-4°, pp. 525, 667.

(29) *Obras de Santa Teresa de Jesús editadas y anotadas por el P. Silverio de santa Teresa, C. D.*, Burgos, « El Monte Carmelo », 1915-1924. 9 t. in-8°.

(30) S. Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV, De vita et miraculis Patrum italicorum et de aeternitate animarum;* Migne, P. L., t. 77, col. 149-430.

(31) *Liber de gloria beatorum Confessorum*, Migne, P. L., t. 71, col. 827-910.

(32) *De miraculis sancti Martini Episcopi libri quatuor*, Migne, P. L., t. 71, col. 913-1006.

(33) *Ecclesiasticae historiae libri decem*, Migne, P. G., t. 20, col. 45-906.

(34) Theodoretus, Episc. Cyrensis, *Religiosa historia seu Ascetica vivendi ratio;* Migne, P. G., t. 82, col. 1283-1496.

(35) Cf., v. gr., S. Gregorius, Episc. Turonensis, *Vitae Patrum, seu Liber de vita quorumdam feliciosorum;* Migne, P. L., t. 71, col. 1009-1096.

(36) Lipomanus (Aloysius—), Episc. Bergomensis, *Sanctorum priscorum Patrum vitae*. Venetiis-Romae, 1551-1560. 8 t. in-4.

(37) Surius (Laurentius—), Cartus., *Historiae seu vitae sanctorum*, Augustae Taurinorum, Marietti, 1875-1880. 13 t. in-8°.

(38) *Opera omnia*, Migne, P. L., t. 144-145. — *Sanctorum historiae*, t. 144, col. 925-1036.

lis (30) *religionum;* chronica vitae sanctorum aetatis nostrae et alii libri similes. Libros ergo recensitos Magister accurate pro temporum et laborum occasione legat; atque ex his et aliis similibus, prout expedire censuerit, Novitiis distribuet. Ac diligenter caveat ne absque ipsius consilio ulli doctrinae seu verbotenus acceptae seu librorum quantumvis probatorum adhaereant. Et multo accuratius, ne illam exerceant. Multos quippe angelus satanae in lectionem piam seipsum insinuans et sine Magistri consilio ad usum rerum sublimium praemature impellens pio colore seduxit, ut propterea a claustris infeliciter expulsi fuerint; quod nobis experientia compertum est.

Haec de prima *Instructionis* parte.

(39) *De miraculis libri duo*, Migne, P. L., t. 189, col. 851-954.

PARS SECUNDA

De Magistri prudentia

Caput I.

De prudentia in communi

1. Omnis Novitiorum prudentia in uno Magistro ponenda est. Cum enim proprium prudentiae opus sit praecipere ac media fini consentanea praescribere, nefas est novos fratres, qui nondum parere didicerunt, praeceptores mediorumque praescriptores fieri. Quocirca in *Novitiorum instructione* cum de virtutibus ageremus, prudentiam in uno dumtaxat diligentiae capite tetigimus (1), quod alios potiores prudentiae actus novis fratribus minime congruere cerneremus. Quam sane observationem ideo hic recensemus, quod ex hoc ipso argumento vehementer prudentiam Magistro persuadere valeamus. Si enim tota Novitiorum prudentia penes illum residere debet, ut sit ipse idoneus omnium censor et moderator, manifestum est in re tanta multum laboris ac sollicitudinis esse collocandum. Quia vero (ut recte vulgo dicitur) in senibus est prudentia, quae longa rerum experientia et accurata eventuum observatione paratur et alitur, conveniat Magister quam frequenter poterit Patres aetate ac doctrina spirituque provectos, quorum consiliis in rebus dubiis decidendis utatur. Et ipse per se quoad valebit anteactos eventus expendat, praesentes occasiones observet, ut ex mutua rerum similium collatione quid sit futurum praesagiat. Ne sit praeceps in sententia dicenda responsisque reddendis, sed assuescat modo respondendi sedato et donec rem satis circumspexerit, et si opus fuerit, cum aliis contulerit responsum differat. Qua tamen in re caveat ne scrupulose nimis minutissima quaeque velit praemeditari et cum aliis conferre; hoc enim dilationis genus in rebus minime difficilibus nimium frequens cursum rectae gubernationis et spiritualis profectus impedit et fastidia multa parit. Ne sit nimium credulus, ut nempe facile credat Novitios vel festinatam sanctitatem comparasse, vel e contrario paucorum experimentorum indicio, quia non praeclare se gesserint, desperandos esse. Sed cunctetur et longiore tempore rerum circumstantias consideret. Suavitatem communicationis ita gravitate temperet, ut Novitii concipiant simul amorem erga illum et reverentiam. Neque angatur animo, quasi propriam existimationem quaerat. Oportet enim eam esse Magistri erga discipulos auctoritatem, cui collum illi in re quantumvis gravi atque difficile facile subdant.

2. Simulet interdum se culpas minime deprehendere; tunc praesertim, cum ex earum iterata correptione taedium potius quam correctio speratur; et aliis pietatis incitamentis quos correptio non emolliret, ad emendationem alliciat. Et

(1) *Instructio Novitiorum*, part. II, cap. 19; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 193a-195a.

postquam ostensione caritatis, puta donata imaguncula vel libello aliquo, benevolentiam captaverit, animum iam mollem et proficere paratum corripiat, ut praeteritam culpam oderit et futuram praecaveat. Tametsi cuiusque Novitii animum excolere et mortificationem crucis Christi accurate docere debeat, ita tamen uniuscuiusque ingenium experiatur, ut non statim a principio insignes passionum victorias et clarissimos virtutum actus exquirat. Minoribus ergo triumphis sub initium contentus sit, et ad maiores sensim inducat. In explorando cuiusque ingenio plurimum operae ponat et moneat ut quisque anteactae in saeculo vitae rationem exponat, vitia et passiones quibus molestius vexatur aperiat, ut sciat unicuique consulere; et quos naturam bonam sortitos esse perspexerit, non statim magni faciat quod multos virtutum actus absque difficultate exercere conspiciat. Eos vero aestimandos pluris censeat, qui cum naturam parum bonam sorte acceperint, sub renuntiationis tamen luctari et virtutum actus licet exiguos obire consuescunt; clarior quippe haec luctatorum victoria est; quae si lucta perseveret, magnis certe momentis augebitur. Sed ad peculiaria prudentiae capita descendamus.

Caput II.

De prudentia erga Novitios omnes recenter indutos

1. Recte dictum est: *Dimidium facti qui bene coepit, habet* (1): perspectum est enim primam eorum qui mundo renuntiant, institutionem, si suis numeris absoluta sit, adeo alte Novitiorum animis imprimi, ut intra dies paucos mira transformatione ex hominibus in angelos mutari videantur. Quapropter in novis fratribus absque mora erudiendis Magister sit maxime sedulus; et ne diem quidem unum sine accurata instructione labi permittat. Sed ut prudenter agat firmaque fundamenta aedificii quod molitur iaciat, quae subiicimus observet. Inter universos christianae perfectionis tractatores constitutum est viam tutam et ab omni erroris suspicione alienam esse eam quae ex oratione et mortificatione componitur; adeo ut si quis elevandae in Deum mentis et voluntatem propriam sensusque suos mortificandi curam gerat, palmam obtinuisse videatur. Neque rem hanc per se compertam rationibus adstruere necesse est: nemo enim tam rudis in Magistrum optabitur, qui doctrinam hanc exploratam non habeat, cum perfectam animae corporisque culturam manifeste complectatur. Hac ergo doctrina posita, a primis diebus fratres indutos Magister per se aut, si legitime impediatur, per socium doceat qua ratione orare, praesentiam Dei menti impressam gerere, orationibus iaculatoriis frequenter cor sursum impellere et actus quos exercent in Deum dirigere debeant, quemadmodum in eorum *Instructione* (2) tradidimus; quod est primum caput. Docebit etiam qua ratione debeant in rebus modicis propriam voluntatem abnegare propriosque sensus disciplina mortificationis exercere; quod est caput secundum.

(1) Horatius (Quintus-Flaccus—), *Carmina*, Epistularum lib. I, epist. 2, v. 40; Lipsiae, B. G. Teubner, 1912, p. 256: *Dimidium facti, qui coepit, habet*.....

(2) *Instructio Novitiorum*, part. III et IV; *Opera omnia*, ed, 1771-1774, t. III, pp. 204b-216b.

2. Exemplum mortificationis exercendae sit: Dum libet intra cellam sedere, eo ipso genuflectere; dum placet quicquam intueri, eo ipso oculos cohibere; dum in refectorio cibus appetitum irritat, eo ipso buccellas aliquot, puta duas aut tres, Iesu Christi amore relinquere. Ecce planissimum et utilissimum incipiendae mortificationis exemplum, quod cum spiritu orationis coniunctum ab ipso religionis primordio summam felicitatem promittit. Quod certe adeo verum et testatum est ut si Novitii faustum hoc inceptum ad finem usque protendant, eximiam sanctitatem paraturi credantur; quod exempla multa convincunt. Erit autem insignis emolumenti si Magister a primis diebus aliquem levium harum mortificationum numerum praefigat, quem novelli fratres quasi quotidianum pensum exsolvant, puta numerum septenarium, quem in primis certissime impleant, quamvis ultra eum numerum absque numero procurare (3) debeant. Illud quippe opus certo numero definitum animos vigilantiores efficit et genus quoddam fidelitatis Deo acceptissimae est, quae arduitatem quamdam praefert laude digniorem quam numerus mortificationum maior solutus et incertus. Monendi sunt autem fratres ut si (quod evenire inexpertis solet) in examine conscientiae nocturno animadverterint se numerum illum non explevisse, antequam cubitum eant, totidem saltem prostrationibus illum compleant atque in eum modum mortificationis disciplinam tenacissime apprehendant.

3. At enim instar stipitum e silva caesorum Novitii in manus artificis a Deo mittuntur ut dolentur et poliantur, atque ad fabricam domus Dei coaptentur; dabit operam Magister ut ab initio, antequam eos mortificationibus variis exercere incipiat, se illis propitium et benevolum exhibeat. Quod eo conferet, ut illi, adhuc spiritualis amoris ignari, ad primos ingressus durum rectorem se habituros non existiment et mortificationem crucis non expavescant. Praestabunt illi sane minus difficulter aut fortasse absque difficultate modicas illas mortificationes quas diximus eorum fidei committendas et intra vel extra cellam exercendas, at eas quae extrinsecus, hoc est, a Magistro inferuntur, utpote difficiliores, non adeo facile omnes accipient. Credendum est autem omnes illas non difficulter accepturos, si Magistrum prius patrem quam iudicem experiantur. Praemissa ergo benevolentiae ostensione, ut dictum est, monasticae prudentiae maxima pars est novos fratres levibus mortificationibus intercalatis sensim exercere, ut immenso lucro ad graviora experimenta comparentur. Ut si, exempli gratia, Magister videat novum fratrem vestem novam qua est indutus, amare, iubeat ut cum veste obsoleta commutet. Si breviarium nimis placeat, aliud minus gratum, illo sublato, tradat. Si cella sit commoda, in aliam minus commodam transire praecipiat. Haec quippe exercitia prudenter et cum intermissione usitata a primis quoque diebus multiplices coronas promerentur et ad gravissimas luctas animos praemuniunt. Prosunt praeterea ut Magister longiore probatione discernat quinam e Novitiis professione digni sint. Nam si in brevi unius anni probatione ad ultimos menses mortificationis examen differatur, vix pacata conscientia decerni potest an emitten-

(3) In ed. 1771-1774, t. III, p. 229a legitur: « *procurrere* » pro « *procurare* ».

dae professioni idonei sint. Facile quippe animus professionis cupidus trium quatuorve mensium mortificationem vitaeque correctionem simulat. Iniunget socio vel alicui fratri ex antiquioribus fidissimo ut recenter indutos de communioribus caeremoniis confestim instruat et de communibus modestiae regulis admoneat. Ipse vero Magister recenter ingressos frequentius quam alios visitet, et aliquam lecti vel victus commoditatem iis praesertim qui delicatiores sint, per aliquot menses indulgeat quando, spectatis personarum et temporum circumstantiis, crediderit expedire. Universe quippe hanc indulgentiam permittere non expedit: certum est autem erga viros graves puerosve ingenuos e commodissimo vitae genere in austeram religionis disciplinam transeuntes illa uti opus esse. Consideret omnia Magister et lumen a Deo iugiter postulet ad rem hanc et alias similes ubi periculum laxitatis imminere videtur, discernendas.

Caput III.

De prudentia erga Novitios pueros vel adolescentes

1. Discrimen aetatis prudentiae lege ab educatoribus idoneis observandum est, ne aut naturam vires acquirentem enervent et ferendis religionis oneribus ineptam efficiant, aut e contrario tenellae aetatis praetextu indulgentiam nimiam et pueriles mores impune excurrere observantiamque regularem extenuare permittant. Quocirca subiecta consilia prudens Magister observet. Mox ac Novitii aetatis illius induti sunt, seorsim vocatos novi status in quem vocati sunt, amanter admoneat; horteturque ne in posterum se pueros existiment, sed viriles actus aetate provecta dignos cogitent et proponant. Proderit autem puerilium actuum deformitatem et virilium operum honestatem repraesentare. Observet accurate ne per coenobium licenter discurrant et communibus actibus inquieti interesse assuescant, quae sunt vitia aetati illi familiaria. Ne sit nimium severus defectuum censor, sed ita illos corripiat ut parcat. Modicus quippe captus eius aetatis proprius culpas extenuat. Sic illos privatis colloquiis instruat, ut paedagogus solet principis alicuius liberos erudire, hoc est, amantissime atque creberrime. Nam aetas illa communes exhortationes non satis ponderat, ob naturalem necdum reformatam levitatem. Atque idcirco quisque seorsim patientia et lenitate multa instruendus est, donec formetur Christus in illo. Ne fidat inconstantiae illi quasi quae pollicentur, pueri fideliter exsequantur; sed rationem eorum quae cogitant et efficiunt, saepe numero exigat iteratisque monitis cordatos efficiat.

2. Quod ad corporis curam spectat, ita rigorem disciplinae temperet, ut naturam vires acquirentem non frangat. Exerceat mortificationem corporis leviorem, cui aequum est aetatem illam assuescere, ut ad senectutem usque crucis amorem servet; at sanitatis non laedendae rationem habeat. Ex incuria quippe admonitionis huius nonnulli ferventiores quam prudentiores bono communi vehementer nocent. Nam quos in pueritia nimiis corporis afflictionibus vexant, per reliquum totius vitae tempus aegrotare faciunt et morbi causam, hoc est, mortificationem odisse. Creant igitur non bonos disciplinae monasticae observatores, sed perennes inimicos crucis Christi; quod in re-

ligionibus praesertim austeris attente ponderandum est. Mediocritas hic probanda est, ut per hebdomadas singulas dimidiatis saltem binis diebus pueri et adolescentes vini abstinentiam, cibi temperantiam, catenulas et cilicia vel alia mortificandi corporis instrumenta experiantur, ut carnem spiritui subiugare condiscant. Iam vero exceptis monitis his quae de pueritia adolescentiaque praescripsimus aliisve similibus, cetera quae ad aetatem illam instruendam pertinent, erunt cum ceteris communia.

Caput IV.

De prudentia erga Novitios maiores natu

1. Qui natu maiores ad statum monasticum e saeculo ascendunt, accuratius examinandi sunt et severius exercendi. Assueverunt enim saeculo et amorem bonorum temporalium altius conceperunt. Secum ferunt noxios vitiorum habitus, iudicii ac voluntatis propriae diuturnam consuetudinem, aliaque similia monasticae perfectionis impedimenta, quibus Novitii iuniores carent. Quocirca novo prudentiae genere hic opus est. Curet ergo Magister adultos aetate intus et in cute pernoscere; solent enim eiusmodi homines statum monasticum non tam spiritu Dei quam rationibus politicis acti sic aggredi ut uno saltem anno simplicitatem simulent posteaque licenter ac dolose agant. Qui, emissa professione, audaciam saeculi resumentes insigne damnum religioni inferunt pacemque de medio tollunt, immo et in ipso Novitiatus anno clam Magistro animos simpliciorum avertunt et ad laxe vivendum inducunt. Ipsorum ergo relatu elapsae in saeculo vitae historia accepta, quibus morbis laboraverint exacte perpendat, ut remedii genus personis adaptet. Agat cum illis serio et seorsim vocatos inducat ad viriliter pugnandum, ut scilicet velint gravioribus experimentis exerceri ad vitia olim contracta radicitus extirpanda et ad virtutes acquirendas.

2. In aliquot velut classes Novitios distribuet, ut interdum pro aetatum discrimine illos seu publice seu privatim admoneat pro temporum rerumque ratione. Maiores vero natu exhortabitur ad celerius currendum ex iuniorum comparatione. Non enim aequum est eos qui multa peccarunt, non maiora conari quam qui leviter brevique deliquerunt. Proponat illis Magister ardua, ut perspiciat an serio conari et arduitatem superare decernant. Et bene animatis occasiones proposita exsequendi offerat. Ne moleste ferat si acerrimis tentationibus infestentur, qui contra diuturnas consuetudines armantur et pugnant; sed illos soletur et roboret, donec victoria sui potiantur. Hi quippe, si divina gratia et cultura boni educatoris adsint, perfectiores religiosi evadere solent quam qui insontes in claustra venere. Horrent enim malum quod passi sunt, et eximios virtutum actus fortissime dimicando producunt. Atque adeo in altiorem divinae gratiae statum assurgere solent quam qui nullos conscientiae stimulos patientes (quales innoxii multi sunt) lente agere consuescunt.

Caput V.

De prudentia erga viros graves in religionem ingressos

1. Magna certe prudentiae iustorum pars est novam iustitiam in vasis fictilibus alere. Huic ergo studeat Magister, et non solum aetates, sed dignitates quoque personarum

ad recte agendum expendat. Curet in primis ut ob personarum gravitatem quocumque ex capite consideratam rigor disciplinae monasticae non lentescat. Gravis quippe ultionis reus erit, si ob rationes humanas observantiam relaxari ac proinde gloriam Dei restingui ferat. Ceterum, salva custodiae legum integritate, ita cum viris gravibus se gerat, ut non summum ius, quod summa iniuria solet appellari, ab eis passim exigat, quale ab aliis sorte inaequalibus severius exigeret. Exemplum sit genuflexio. Si enim Novitii, ut decet, Magistrum genuflexi alloquantur, non continuo decebit ut si Magister ferat alios aetate et meritis minores per horam dimidiam secum genibus flexis verba facere, virum graviorem eodem ritu tandiu genuflexum esse patiatur. Decebit potius ut illum citius expediat vel stare vel sedere quoque iubeat.

2. Idem ad proportionem de aliis ritibus et actibus dicendum est; quod Magister prudenter observet. In iis vero quae ad vitae asperitatem pertinent, ne cum eiusmodi viris nimium severe agat, sed parcat interdum sibique persuadeat lenitate hac se illos perfectius culturum et ad verarum virtutum culturam perducturum. Frequenter illos in cellis existentes visitet et de animae corporisque valetudine interroget, tanquam cui eorum cura cordi sit, et communicationis suavitate illos ad proficiendum et perseverandum alliciat.

Caput VI.

De prudentia erga Novitios doctrina praestantes

1. Statim ac novitius doctrina insignis admissus fuerit, Magister illum novi status admoneat, ut velut infans modo genitus lacte se indigere consideret et alphabetum Christi a primis elementis incipiat; suadeatque quamdam salubrem scientiae in saeculo partae oblivionem, ut sanctorum scientiam ediscat. Quin etiam hortetur ut se nihil scire opinetur et stultus fiat, ut sit sapiens; addatque certo noverit acquisitam scientiam nocituram, si ea contra vel praeter obedientiae placitum utatur. In locis publicis ne sinat eiusmodi Novitium scientiam ex occasione, ut fieri solet, ostentare. Quippe alicuius interrogationis occasione gloriola vana novos Dei milites vexare solet, ut erudite diserteque respondeant, ac per hoc ab aliis in admiratione habeantur. Haec ergo responsa Magister impediat; et si forte inopinato reddantur, postmodum in oratorio corripiat et doceat monasticum ac simplicem respondendi modum.

2. Quod si Magister doctrina excellat, Novitium altum sapere et vane respondere conantem non auctoritate magisterii tantum, verum doctrina convincat seu refellat, ne discipuli condiscipulum Magistro doctiorem se habere credant, quod eos a Magistri fide divertet et ad mala multa viam proculdubio faciet. Neque vero si ad refellendum Novitium opus sit multa erudite eloquenterque proferre, Magister vanae gloriae stimulum vereatur, sed tentationem eam forte obrepentem contemnat actumque illum virtutis officio suo debitae persequatur. Iam vero Novitiis eruditis iudicii proprii, quod illi rationibus multis adstruere solent, abnegationem saepe commendet multaque illis, quemadmodum et omnibus proprii iudicii tenacibus, apparenter rationi dissentanea praecipiat, ut intellectum (ad obsequium

fidei Iesu Christi) in captivitatem redigere discant. Caveat ne alii Novitii quos his tentationibus infestari certum est, eum quem doctrina excultum noverunt, consulant, ut ab eo quicquam ediscant. Quemadmodum enim furtivi fructus dulciores videri solent, ita furtiva eruditio salubrior solet apparere.

3. In exhortationibus seu colloquiis peculiaribus pietatem et christianam perfectionem sic commendet, ut qui eruditi sunt, certo sibi persuadeant in coetibus religiosorum non doctrinam sicut neque nobilitatem vel dotes alias electis ac reprobis communes magni fieri. Denique Novitios doctiores Magister quacumque ratione poterit, sollicite curet excolere: si enim recte illos educaverit, religionis bonum ac proinde gloriam Dei et salutem proximorum mirifice promovebit.

Caput VII.

De prudentia in directione spirituum

1. Hic principio ponendum est Novitios singulos recenter indutos de anteacta vita interrogandos, an pacata conscientia sint, an erga praeteritas confessiones aliquem remorsum patiantur, an ex capitibus aliis ad Dei gratiam et amicitiam requisitis perturbentur (1). Deinde ponendum potissimam primamque curam esse debere ut qui conscientiae remorsu affliguntur, expiata per integram perfectamque culparum confessionem conscientia, quiescant. Quomodo enim de progressu cogitabunt, qui principio carent? Principio vero carere dicimus quos conscientia culpae mortalis nondum abstersae redarguit. Posito ergo principio et ingenio ac moribus cuiusque Novitii aliquandiu bene perpensis, unoquoque interrogato ac de internis actibus et affectibus rationem sincere reddente, in spiritibus discernendis ac dirigendis multum operae Magister positurus est. Expendat ergo quo spiritu discipulorum quisque a Deo ducatur, ne forte illum inopinus extinguat. Spiritum autem hic appellamus affectum quo uniuscuiusque animus a Deo ducitur, quo maiori ex parte quisque se percipit emolliri, compungi, ad virtutes inflammari, ad propulsandas tentationes praemuniri. Hunc primum internoscere opus est. Deinde vero ita eum alere, ut anima inde violenter non avellatur, sed sinatur ostensa caelitus via procedere; quod exemplo subiecto declaramus. Etenim si quis animadvertit se consideratis inferni cruciatibus, mortis amaritudine, iudicii severitate ad virtutum culturam vel minime affici, vel parum urgeri, et una solius aeternae gloriae meditatione ad omne bonum opus incendi, non expedit ab ea meditatione animam renitentem divellere quam voluit singulari eo pastu nutrire et ad pietatis officia permovere.

2. Idem prorsus inter alia obiecta nobiliora delectus habendus est. Si enim quis infantiae Christi, non

(1) Opportunum ducimus Lectorem de nova legislatione ecclesiastica monere, quae in novo Codice Iuris sic habetur:

Can. 530, § 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

§ 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes

Can. 891. Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

vero passionis meditatione pascatur, sinendus est ibi erudiri ubi gymnasium ei Deus praeparavit. Denique si inter Christi passiones sola (exempli gratia) crucis gestatio animum movet, ibi perdurare sinatur. Quod enim instinctu Dei agatur ,ex eo probabiliter admodum coniicitur quod inde et non aliunde ad pietatem vires hauriat. Quod si quis nec in certa una unius rei cogitatione persistere valeat et iaculatoriis orationibus efficacius se impelli sentiat, illas frequentet, nec uni meditationi diu cogatur insistere, ne anima coactione illa exarcerbetur. Verum est tamen in praedicto multiplici spiritus ductu posse latere dolos: dum anima perceptione suavitatis quam elicit ex obiecto uno, cetera fastidit; et ibi torpescens mortificationis opera et labores formidans, aegre fert inde divelli. Propterea opus est et hos ipsos affectus explorare et animam inde invitam ad experimentum nonnumquam avertere, ut, veritate perspecta, vel dolus detegatur, vel securius anima suum pastum resumere sinatur.

3. At vero ad haec prudentius discernenda opus est cuiusque ingenium percallere: si intellectu polleat, si facile amet aut oderit, si in formandis rerum imaginibus vehemens sit aut remissior. Quae sit orandi ratio quam observat, quae sit indoles, quam firma sit corporis constitutio et alia eiusmodi quae passim a spiritualibus viris annotantur. Quae omnia recte perpensa atque multo collata id praestant ut qualis sit cuiusque natura, qualis gratia, Magister dignoscat; et ut bonus Dei minister Deo cooperetur, ea scilicet via incedens quam Deus ostendit. Ex perfecta vero naturae cuiusque inspectione et spiritus quo ducitur, exploratione decernendum est qua mensura contemplativae sive activae vitae exercitia unicuique iniungenda sint. Citius enim quosdam modica contemplativae et maior activae exercitatio ad perfectionem provehit; quosdam e contrario contemplatio perficit et actio, nisi modice admista, retardat. Quo tamen discrimine non includimus communes religionis actus, quos ab omnibus ad unguem exerceri necesse est, cuiuscumque ingenii ac virtutis illi sint. E naturali capitis affectione alia perutilis observatio ducitur. Sunt quippe nonnulli adeo infirma et inconstanti phantasia, ut nullam imaginem formare in nullaque fortasse formata persistere valeant. Et videntur operam perdere, quia quicquid figurare conantur, statim dissipatur ac evanescit. Unumque eis remedium superest ad cogitationem compescendam, carptim scilicet legere et per intervalla quae legunt expendere, quoadusque fervor lectione excitatus elangueat lectionemque resumant. Ii pariter sinendi sunt incedere qua via ducuntur. Non enim via parum fructuosa et ad cor permovendum efficax est. E contrario sunt aliqui adeo vehementer quicquid libet imaginatione formantes, ut sibi paulo minus quae cogitant cernere videantur. Hi coërcendi sunt interciso discursu et interdum activae vitae iniunctis exercitiis, donec discant vim phantasiae ratione temperare vel religioni convincantur inepti, si absque moderatione et cum aperto diabolicae illusionis periculo imaginibus adhaereant. Alii capite parum firmo a natura sunt, qui si prolixe orationi vacent, oneri succumbunt et in nimiam imbecillitatem vel etiam in amentiam facile incidunt, qui tamen breviore spatio temporis sine nocu-

mento orare valerent. Demum in hoc genere Novitii modum excedere solent, vim ad ferventer orandum corpore toto facientes, ac si fructus orationis a Deo extorquendus esset. Unde capitis laesio, stomachi imbecillitas, sanguinis excreatio et alia damna dimanant, quibus sub cursus initium novi milites enervantur. Qui si duce prudentia regerentur, sine defectione in orationis studio perseverarent.

4. Temperanda sunt omnia, ne medium virtutis excedant; ipsa quoque exercitia quae spiritualia et salutaria ex genere sunt. Non enim sat est bona esse, nisi bene, hoc est, cum proportione exerceantur. Quapropter et preces ipsae temperandae sunt, ad quas novi fratres ex propria devotione aut daemonis illusione propensiores interdum quam ad communes religionis actus fieri solent. Iis enim gravantur, ne in rerum internarum studio multum operae ponant. Quocirca praeter Officium divinum, Beatissimae Virginis coronam, sanctorumque tutelarium commemorationes et solitas precationes quas ad lucrandas indulgentias recitari mos est, Magister non permittat fratres iis oneribus premi, nisi causa iusta prius expensa peculiare quippiam alicui permitti debere persuadeat. Pauca haec quae de spirituum directione tradidimus, licet utilia sint, non sunt ea tamen quae ad rem tantam Magistro sufficiant; quamobrem his utetur et alia studio multo e sanctorum lectione et e virorum spiritualium consultatione requiret.

Caput VIII.

De prudentia in experiendis Novitiis

1. Ad omne militiae sive corporalis sive spiritualis genus experimenta, ex omnium sapientum sententia, plurimum ponderis habent. Ex iis quippe decernitur quisnam idoneus vel ineptus sit et, probatione seclusa, vix de re tanta prudenter decerni potest. Quapropter cum religiosi omnes ad spiritualem militiam nomina dederint, ad Magistri spectat officium Novitios experiri. Personis ergo circumstantiisque perpensis, iniunget ad tempus Novitiis aliqua coenobii ministeria ubi cum saecularibus non sit commercium, ut exploret an iis occasionibus obedientiae, humilitatis, mansuetudinis, silentii tenaces sint; an passiones effrenes prodant, an mentem a praesentiae Dei studio relaxent et eiusmodi alia; quae si Novitiatus annum integrum non probati ducerent, celare et ovina pelle lupos contegere valerent. Rebus mature perpensis, submittet prudentiores aliquos Patres ut Novitios tentent ad aliquid praeter ordinem agendum. Ut pateat qua cordis constantia sint, an humanis rationibus succumbant, an in obedientiae fide permaneant. Exemplum sit: Si Pater aliquis e gravioribus Novitium obvium artificiose de valetudine aliisve rebus minime necessariis interroget prolixeque moretur, identidem multa eiusmodi rogans et, nisi respondeat, iram simulans donec vel gloriose tacendo vincat, vel inconstantiae signum loquendo exhibeat. Idem de importuna instantia ad modicam aquam absque venia Superioris degustandam sub praetextu caloris nimii. Rem scilicet extenuando ob parvitatem nimiumque ius appellando, si Novitius omnino abstinere velit. En exempla duo satis familiaria quibus alia similia et plurima et creberrima succurrent; quae si prudenter adhibeantur, ad cursum perfectio-

nis incitandum opportunissima sunt. Proderit interdum ut Magister ipse per se aut, re mature discussa, per alios ira simulata Novitios nonnullis verbis asperioribus exagitet, vestibus laceris et sordidis induat, verberibus aut aliis monasticae disciplinae et sanctae mortificationis instrumentis exerceat, ut neglectui propter Christum haberi discant. Vitabit autem in exercitiis eiusmodi quae risum excitare possint, ne sancta exercitia in modos saeculares degenerent.

2. Praecipiet aliqua seu vere seu apparenter rationi contraria, puta quae vires Novitii alicuius excedant, ut exploret qua fide obedientiam colant, an ratione humana nimis utantur, an obedientiae viribus omnia se posse confidant. Nonnumquam simulabit oblivionem, prostratos per aliquod temporis spatium velut oblitus relinquens, quos redarguet ad patientiae et humilitatis examen. Imputabit eis aliqua falsa verbis amphibologicis velata, puta esum vel potum diebus ieiunii regularis, vel sermonem tempore nocturni silentii, ac eos ob id obiurgabit ut virtutem humilitatis ac mansuetudinis ediscant. His tamen in experimentis aliisque similibus observet cuiusque mores et ingenium, nec magni pendat quorumdam apparentem humilitatem, qui sane eiusmodi neglectum non valde detrectant quod naturam degenerem sortiti sint. Constat enim vilitatem hanc longe a vera humilitate distare. Sed pro magno ducat contemptum sensu vehementer renitente subire et arduitatem hanc lucta longa superare, ne pro veris virtutibus falsas eleganter pictas nostrae salutis inimicus obtrudat. Consideret Magister supra dicta experimenta ita debere Novitiis attemperari, ut (nisi extraordinaria aliqua ratio contrarium exposcat) brevia et intercalata sint, ne forte novellos milites cibo solido nondum assuetos maestitia vexet vel opprimat. Exploret unumquemque dum mortificationibus exercetur, an aliquid in praesenti detegat vel futurum portendat quod religioni possit officere; Patresque de re fideliter moneat; quod exemplo subiecto rectius animadvertet. Etenim si nosset alicui e discipulis vitium aliquod grave sive naturale, sive ex consuetudine, sive ex fragilitate, aut quavis alia de causa alte firmiterque impressum fuisse, deberet eniti ut is sponte recederet, vel a Patribus expelleretur, nisi tantus in eo divinae gratiae vigor cerneretur, qui vitium, accedente mediocri Magistri diligentia, extirpandum persuaderet. Pauci quippe eiusmodi vitiis affecti ita sui victoria potiuntur, ut in claustris non potius noceant quam proficiant, tametsi vocationis calore primum concepto bene affecti videantur.

Caput IX.

De prudentia erga Novitios tentationibus vexatos

1. Campus hic latissime patet: multiplices quippe tentationes longam orationem, si de iis presse agendum sit. Verum tractatio haec a nobis modo suscipienda non est, cum habeat in aliis scriptoribus capita et Novitiis et aliis hominibus communia. Eodem enim modo Novitius ac ceteri homines tentationes fidei, castitatis, desperationis aliasque similes propulsare debebit. Hic tamen Magistri prudentiam qua erga tentatos uti debet, tractare consilium est. Primum ergo Magister patientiam colere meminerit, quae a Novitiis praesertim tentatis exerceri solet; et dies noctesque, si

opus fuerit, in iis solandis, instruendis et roborandis insumat. Oret, sacrificet, excogitet remedia; et si Novitii alias probi sint, ne angatur si tentationes et gravissimae et longissimae incumbant. Ne addat afflictionem afflictis; nam dum quis a Deo severe tractatur, non expedit gravius illum premere, quemadmodum prudentis medici non esset ab homine aegroto sani ac validi hominis exercitia repetere. Quocirca ordinaria coenobii ministeria solitasque mortificationes quibus alii non tentati facile utuntur, iis qui sic vexantur moderate iniungat, nisi forte id sit tentationis genus quod activae vitae occupationibus extenuetur. Exemplum sit: Si quis animi deiectione aut infidelitate erga Superiorem tentetur, erit opportunum consilium ab orationis et chori actibus illum vulgo non divertere, cum psalmorum cantus et oratio cor illuminent ac fulciant, et proinde animi deiectionis et infidelitatis remedia suggerant. Si quis vero inhonestis (1) motibus aut scrupulis infestetur, sanum consilium erit ab oratione illum ad tempus amovere domesticisque obsequiis onerare, ut intellectus et imaginatio orationis otio non abutantur et subtilibus scrupulorum rationibus turpibusque imaginibus tentationes ingravescant.

2. Doceat modum tentationibus resistendi, ut scilicet Novitii legitime certare discant et primos tentationum motus intercidere assuescant; quae certe regula universis tentationibus debet esse communis. Quia vero (ut experientia convincit) Novitii satis crebro scrupulis vehementer angi solent, in promptu habeat remedia quae afflictis adhibeat. Cuiusmodi sunt: fiducia multis rationibus a scrupulosis exercenda; persuasio fidei qua in Magistri sententiam intellectum captivum redigere debent; abstinere a discursibus erga anteactae vitae peccata; cogitationes scrupulorum recenter ortas ac si forent libidinosae tentationes, confestim excutere; nimium divinae iustitiae timorem interim non recolere, sed amoris ac spei meditationes frequentare. Erit autem ad rem iubere ut inter fratres alios, ubi simul agunt, proponat Novitius scrupulosus ridicula dubia quibus torquetur, ut publice decidantur. Ibi quippe res cum risu accepta et ab omnibus explosa tamquam ab omni rationis usu aliena, tentatum ad eam quoque despiciendam efficaciter fortasse movebit; quod experimento perspectum est. His ergo consiliis aliisque similibus fratres scrupulis agitatos Magister adiuvabit. Eos vero quos aliae multiformes tentationes divexant, praecipue quos aliqua ab statu monastico desistendi cogitatio urget, vigilanter instruat. Ceterae quippe tentationes quae religiosum a statu semel arrepto non divertunt, non usque adeo formidabiles sunt: locus enim ille hominibus quantumvis tentatis salutem pollicetur; at iis qui vitio suo a proposito sancto resiliunt, modica spes salutis aeternae in saeculo superesse videtur. Quocirca in his potissimum solandis et adiuvandis Magister plurimum laboris et sollicitudinis collocare debebit.

Caput X

De prudentia in officiis iniungendis

Monasticae disciplinae ratio postulat ut Magister suos discipulos ad omne opus proprio instituto con-

(1) In ed. 1771-1774, t. III, p. 233b, legitur: « *honestis* » pro « *inhonestis* ».

sentaneum erudiat. Magna quippe pars decoris domus Dei in hac vivarum functionum peritia posita est, quae a Novitiorum educatore praeteriri non debet. Habeat ergo Magister scriptum Novitiorum catalogum, quem tamquam rationem redditurus identidem legat atque recogitet. Et ordine servato domestica officia sic iniungat ut, catalogo percurso, singuli in orbem ad officia singula transeant singulique omnia perdiscant. Res quippe facilis et perutilis est, cuius neglectu mirum est quam rudes et inertes religiosi fiant. Tempus autem officiis exercendis iuxta rei difficultatem praescribendum est; neque enim par tempus culinae, refectorio et oratorii sacristiae assignari potest. Cavendum est in hac prima officiorum iniunctione ne Novitii mox tamquam principales ministri obsequia illa praestare sinantur. Exploratum est quippe multa hinc errata proditura, cum earum functionum plane ignari sint. Sed providendum est ut antiquiores alii, puta paulo ante professi vel qui iam fere Novitiatus annum expleverunt et officia didicerunt, minus antiquos sibi socios assignatos per dies aliquot instruant obsequiaque omnia simul obeant, donec recentiores soli vel principales cuncta expedire noverint.

2. Quia vero nonnulla obsequia nimis onerosa sunt et Novitios choristas non esse labori tanto pares manifestum est, animadvertat Magister nec expedire, neque vero (ut experientia docuit) fieri posse ut ad ea praestanda omnes in orbem designentur. Quapropter satis erit, si eos quos viribus pollere perspexerit, prout occasio tulerit, assignet. Quos vero nimium e labore fessos esse conspexerit, cibo et somno reficiet. Denique consideret nonnullos, tametsi boni religiosi sint, ex naturali vitio quod mores non attingit, esse quibusdam officiis prorsus ineptos, adeo ut sine totius communitatis offensione illa exercere non possint. Hos ergo, postquam rem compertam habuerit, ab officiis illis eximat et ad alia designet.

Caput XI

De prudentia in recreatione Novitiorum

1. Inter prudentiae actus laborum intermissio et aliqua honesta recreatio merito recensetur. Neque de asserto hoc ulla inter viros sapientes ac spirituales controversia oriri potest. Controversia vero multiplex de modo condendae recreationis emergit, inde (ut credimus) quod raro admodum invenire liceat virum qui varios religiosorum simul agentium affectus sine offensione in unum laetitiae modum conciliet ac temperet. Quamobrem Novitiorum Magister rem hanc meditetur et ad eam, prout decet, praestandam se implorata Dei ope coaptet. Et primum quidem animadvertat ad functionem hanc perfecte obeundam singularem Dei gratiam, insignem in actionibus decorem, mirum in verbis leporem requiri. Nam (ut vim divinae gratiae modo sileamus) exploratum est animos hominum, quicumque illi sint, actionum decore ac sermonis suavitate vehementer affici, ut aegre non ferant apud eum esse illumque dicentem audire qui gestibus et verbis auditores delectet. Curet ergo Magister, si ad hoc a natura valet, talentum sibi a Domino creditum satis opportunam occasionem nactus exercere. Quod si natura parum iucundus lepidusque sit, arte utatur, quae ad opus hoc eximio cum merito undecumque

conquirenda est. Atque hac de causa spirituales viri quibus Novitiorum educatio commissa est, existimant obsequium se praestare Deo, si multam eruditionem historiasque auditu iucundas ex praemeditatione memoriae mandent, ut Novitios simul existentes dicendo exhilarent atque delectent.

2. Verum quia bifariam Novitii a laboribus recreandi sunt: et ordinarie, ut reformatis religionibus fieri consuevit, modico tempore quotidie ad eam rem designato; et extraordinarie, paucis videlicet aliquot diebus, quibus Novitii foras animi causa duci solent; aequum erit de utrisque recreationibus seorsim agere. Ponendum est hic Magistrum inter alias praeceptiones debere quoque recreationis meminisse; ut scilicet Novitios instruat ad vultum hilarem, temperatam scilicet ex gravitate ac laetitia modestiam ubique praeferendam. Sed in recreationis loco praesertim monebit non modo omne supercilium seu luctum, sed omnem quoque affectatae devotionis imaginem esse depellendam; eumque debere esse perfecti religiosi vultum, qui statim ac conspicitur, ceteros exhilaret; neque tamen per hoc leges modestiae violari, sed custodiri. Hac igitur instructione praemissa, duo prae oculis Magister habere debet in quavis recreatione, sed in quotidiana frequentius: unum scilicet ut ea quae molestiam parere possent, neque dicat ipse, neque dici patiatur; alterum ut ex iis quae sancte sive non profane delectare possunt, ea proferat faciatve seu proferri fierive iubeat, quae animos magis oblectent.

3. Ex prima huius consilii bimembris parte efficitur ut ibi culpae nullae corripiendae sint: importuna quippe valde correptio foret, nisi in eventu aliquo rarissimo ubi quis immodestus licenter aliquid ageret vel diceret, cuius tolerantia reliquos fratres offenderet. At et tunc quam brevissime res expedienda est paucis aliquot verbis gravioribus adversum fratrem immodestum prolatis aut illo indeabire iusso, ut coepta recreatio procurrat. Deducitur etiam ex observatione praedicta ut Magister ibi res dictu factuque difficiles iniungere non debeat. Efficitur etiam ut ibi natio una prae aliis laudanda non sit. Consequitur praeterea ut exercitia quae appellamus manualia, non ita, ubi sedetur, praestanda sint ut, Magistro silente, omnes nimium maeste laborent. Intercalatis quippe iucundis sententiis vel interrogationibus laetitia labori admiscenda est. Denique multa hic sed incerta Magistro occurrent, quae prudenter prospiciet an ea sint quae displicere possint, illaque accurate vitabit. Lege caput 7 quartae partis.

4. E secunda moniti bimembris parte efficitur ut bono delectui rerum quae iuxta coenobiticam disciplinam Novitios exhilarare possint, studendum sit. Huc spectat historiarum relatio, ut scilicet non Magister tantum referat, sed alios quos id decore ac lepide praestare posse novit, referre iubeat quid auditu iucundum quo alii recreentur. Huc spectat facetum quippiam monastica sanctitate conditum: ut si Magister per seriem ab unoquoque sciscitetur si in animal irrationale vertendus esset, quale animal eligeret; multa quippe ibi mira simplicitate proferuntur, quae sine laesione modestiae risum excitant. Huc spectat iucunda singulorum interrogatio: quid scilicet ageret,

si rex aut Summus Pontifex crearetur. Huc spectat leve aliquod certamen: quis amoris Dei vel spei actum omnium perfectissime producat, imaguncula aliqua vel munusculo alio victori proposito. Huc spectat non minus iucunda quam utilis passionum repraesentatio: ut nempe Magistro designante unus hominem iratum, alter hominem timidum, alius hominem audacem, alius tristem aut aliter affectum gestu repraesentet. Huc spectat laetissimus actus quo Magister, quasi Christus ipse foret, fratrem aliquem gloria immortali pro laboribus anteactis coronat, iis videlicet verbis et actibus utens quibus revera Christum erga animam ex hac vita in caelum migrantem uti probabiliter censemus. Huc spectat cantus Psalmorum aut piorum carminum, quae animos in caelum suspirantes mirifice exhilarant et inflammant. Haec et similia alia quae percensere non possumus, id efficiunt ut modica illa recreatio sancte casteque suscepta fastidia, si quae subierint, pellat, animos exhilaret, spiritum alat et ad graviores monasticae disciplinae actus vires adaugeat.

5. In extraordinariis recreationibus Magister veniam dabit aut, si opus fuerit, iubebit ut Novitii inter se amanter modesteque verba faciant. Ut genus aliquod honesti ludi, puta lapidum iactus ad aliquam metam vel alium similem actum, vel coniuncti omnes, vel in numeros discreti exerceant, ut simul omnes aut bini, terni vel, ut sors tulerit, alio numero sociati canant. Ut per hortum villamve in quam accesserint, deambulent. Ut martyria varia quae laetissimum et utilissimum spectaculum exhibent, alio exempli gratia tyrannum, alio carnificem, alio martyrem sive personas alias agente, productis variis fidei, spei, amoris et aliarum virtutum actibus repraesentent. Haec ergo et alia similia Magister observabit, ut discipulos salubriter recreet. Laeta vero exercitia haec, praeter multiplicem spiritus et corporis utilitatem, id praestant Magistro ut, dum discipulos liberius pro suo unumquemque ingenio agere sinit, quis quisque sit facile perspiciat. Nusquam enim tam facile ingenium cuiusque exploratur quam ubi naturae laxantur habenae et quod placet quisque exsequi sinitur. At ob rationes multas status monastici proprias cum quid indecorum Novitii in iis occasionibus admittunt, in subsequentium dierum exhortationibus Magister illum admoneat, ut ipse corrigatur et tam ipse quam alii similia mala praecaveant. Quin etiam ante solemniorum recreationum dies fratribus omnibus modestiae decorem commendet, ut sanctius recreentur. Adhuc enim ea admonitione (1) praemissa, libertatis occasio ad ingeniorum et morum inspectionem satis lucis afferre solet.

Caput XII

De prudentia ad perfectionem Novitiorum promovendam

1. Ille sane prudentissimus Novitiorum Magister existimandus est, qui novit excogitare et exsequi media ad discipulos brevi perficiendos opportuna. Hic autem non agimus de mediis illis proculdubio probatissimis quae votorum, Regulae, Constitutionum et Instructionum

(1) In ed. 1771-1774, t. III, p. 235b-236a, mendo typographico, habetur: « *Adhuc enim ea admonitione recreentur. Adhuc enim ea admonitione praemissa,...* ».

observatione continentur. Ea quippe media in laxis quoque religionibus praescripta sunt et non ideo satis observantur; in reformatis vero ideo observantur, quod ab idoneis Novitiorum Magistris novelli discipuli mediis aliis plane spiritualibus ad eorum custodiam inducuntur. Atque ideo de his mediis, quae prudentiae sanctorum propria sunt, nonnihil modo dicendum est. Et primum quidem det operam Magister ut discipuli maiora quam quae religio praescripsit, praestare constituant: exiguus quippe proventus speraretur, si ad altiora quam iubeantur, minime aspirarent; quod per se perspicuum et experientia nimis compertum est. Hanc vero magnanimitatem discipulorum cordibus ingenerabit, si exemplo ipse maiora praestiterit et verbo mox ad imitationem sanctorum illos animaverit; quod universe dictum sit. Sed ad media aliquot peculiaria descendamus.

2. Notissima sunt media illa quae Congregatio nostra praescripsit et votis, Regulae, Constitutionibus ac Instructionibus adiunxit, ut non modo Novitii, verum et professi exercerentur. Mortificationes videlicet ordinariae et extraordinariae; ordinariae, ut oculos per dies aliquot velatos, os transverso modico ligno auribus religato obstructum gerere; extraordinariae, ut scapulis honeste detectis sensimque verberatis in refectorium ingredi genibusque flexis culpas suas proferre. Huius generis media quoque sunt exercitia illa omnia quae in *Novitiorum Instructione*, quarta praesertim parte (1), posuimus: sive ad orationis studium pertineant, ut matutina et diurna actuum in Deum directio, Dei praesentia ordinata et perennis oratio quae coram altari Sacramenti a fratribus exercetur; sive ad studium mortificationis spectent, ut abstinentia et severior corporis maceratio ante solemnissima festa suscepta, ut certamina de rebus arduis ad passionum mortificationem fieri solita, ut vestes lacerae, ut exercitia humilia valentium vel aegrotantium obsequiis destinata; sive ad virtutum progressum attineant, ut certamen menstruum de virtutis unius cultu, designato praemio, propositum, ut virtutis quoque unius cultura per hebdomadas singulas proposita; sive ad intellectus illuminationem et inflammationem affectus dirigantur, ut exhortationes quotidianae, privata colloquia, frequentissima consilia et creber sacramentorum usus. Media haec et alia quae silemus, iam inter fratres nostros vim legis longa et accurata observatione laudatissimae obtinuerunt. Sed Magister alia quae sancto quodam artificio novos fratres ad ulteriorem perfectionem sine taedio perurgeant, inventurus est.

3. Erit ergo medium unum ad singulos erudiendos et solandos appositissimum, ut per dies singulos unum aut duos e Novitiis privatim vocatos instruat et peculiaribus monitis quibus eos magis indigere perspexerit, erudiat; atque in hunc modum in orbem Novitios omnes singulatim percurrens, ad caput redeat rotamque hanc semper vertat. Quam sit autem modus hic ad promovendam perfectionem efficax, viris vel mediocriter spiritualibus manifestum est; habet enim erga unumquemque plus amoris, plus ponderis et aestimationis. Exercitia

(1) *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 210b sqq.

quippe mediaque communia quod ad unumquemque excolendum spectat, ut experientia docuit, cum hoc medio comparari non possunt. Arripit enim quisque quae sibi peculiariter committuntur, multo avidius quam quae confertim omnibus praerogari videt. Crescit reciprocus inter Magistrum et discipulos amor, crescit fiducia, enascitur inde fidelitas maior, diligentia maior, quasi de rebus ad animum cuiusque perficiendum singulari providentia dispositis, de quibus quisque, cum per orbem vocabitur, rationem redditurus sit. Ne igitur pigritetur Magister, sed pascat singulos et confirmet. Quod si Novitiatus numerosus sit, nec ob multiplices labores officium hoc praestare possit, socio probato ac fideli quem habebit, hunc laborem demandet, ut scilicet de certis capitibus, quae ipse socio praescribet, singulos in orbem Magistri nomine erudiat, et ad ipsum quicquid noverit referat, ut singulis opportuna remedia auxiliave provideat.

4. Alterum medium (2). Per annos singulos quoddam examen sive scrutinium Novitiorum faciat, designatis videlicet tribus quatuorve diebus, ut quisque praemeditetur qua potissimum passione acrius infestetur ac proinde quanam virtute praesertim indigeat; et expleta praemeditatione, a Magistro vocatus quid de se senserit aperiat, ut Magister ipse Novitium ad sui cognitionem ac victoriam iuvet. Postquam vero Novitius omnia retulerit, Magister attente rem explorabit et vel errantem corriget, vel bene de se iudicantem adiuvabit, ut per totius vitae cursum certissime statuat adversus passionem illam qua sentit se molestius vexari, bellum gerere et ad parandam virtutem qua magis indiget, conari atque in eum finem peculiaribus mediis a Magistro praescribendis uti. Medium hoc quam sit utile nemo rationis compos ambigere potest, cum ad sui cognitionem ac victoriam plurimum valeat. Omnibus ergo Novitiis singulatim examinatis et in classes iuxta passionum virtutumque delectum distributis, Magister proximis diebus factum examen subsequentibus consilia in hunc modum dare poterit. Vocabit in medium oratorii, exempli gratia, eos qui aestimatione sui vexati humilitatis virtute potissimum indigent, et una exhortatione integra illos ad studium eius virtutis urgebit praescribetque media prius accurate perpensa quibus per totius vitae cursum operam navaturi sunt. Rationes quibus unius virtutis delectum tamquam medium ad christianam perfectionem brevi efficaciterque comparandam opportunissimum persuadebit, habentur in nostra *Instructione Novitiorum*, tertia parte (3), unde illas petere valebit. Iam vero ut propositum molestissimae passionis subiugandae et virtutis maxime necessariae toto vitae cursu colendae altius imprimatur, ad rem erit indicto die omnes ad Communionem sollemnissimam hortari, ut ante Eucharistiae sumptionem conceptis verbis cultum virtutis perennem firmiter quisque proponat absolutisque verbis, ut inter nos fieri consuevit, Sacramentum sumat. Verba vero haec aut similia proferentur, Magistro ad fratres con-

(2) Cf. supra, cap. 7, num. 1, p. 32, nota (1), ubi novae legislationis ecclesiasticae textum retulimus.

(3) *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, p. 204b-210b.

verso Sacramentumque supra pyxidem aut patenam elevatum tenente: Dulcissime Deus ac mitissime Redemptor noster Iesu Christe, ego, frater N., infinita bonitate tua fretus firmiter propono me per totius vitae cursum virtuti (humilitatis) operam diligentissime daturum ad gloriam tuae divinae Maiestatis et purissimae Virginis Mariae Genitricis tuae.

5. Aliud medium erit: cuiusque Novitii vires animi corporisque perpendere et monere ut unusquisque aliquod paenitentiae genus excogitet, cuius desiderio teneatur ad christianae mortificationis habitum acquirendum carnemque spiritui subiugandam. Monebit autem ut singuli, postquam rem cogitaverint, scripto notent quod agere (si obedientia annuerit) apud se statuerint et ad ipsum, cum vocati fuerint, deferant. Scripta ergo ad se perlata perleget et moderabitur ita ut neque corpus nimis enervet, neque vero omnia prorsus improbet aut neget. Magni quippe ponderis est pueros crucis mortificationi assuescere. Propendeat vero in partem mitiorem, ut modicum sit quod concedit. Sic enim prudenter sperare poterit Novitios quod semel statuunt, ubique ad senectutem usque servaturos. Quando vero illos aliis laboribus exercuerit vel aliis animi anxietatibus aut temporis iniuria, puta nimio aestu, afflictos conspexerit, meminerit praecipere ut iis diebus decretam corporis macerationem, puta catenulam, cilicium vel ieiunium supererogationis intermittant. Iam autem per se planum est a proposito hoc tempus infirmitatis excipi. Excipitur quoque tempus quo vel ex voto, vel ex praecepto, aut consilio obedientiae aliquid magis vel aeque asperum praestant. Excipitur praeterea novum Superioris mandatum, quod iustis de causis fratribus iam professis et aliis gravioribus occupationibus intentis imponi posset. Quibus omnibus recte consideratis, remanet moderatum quoddam sanctae mortificationis exercitium, quod firmiter arreptum et perseveranter observatum carnis equum fallacem domat et immensa spiritus bona producit.

6. Aliud medium erit trium capitum principalium praescriptio: quomodo scilicet se erga Deum, erga seipsos et erga proximos perfecte gerere debeant. Designatis nempe paucissimis regulis quas ad cor in Deum erigendum, ad seipsos intrinsecus et extrinsecus ordinandos, et bonam cum proximo conversationem ex gravitate ac hilaritate compositam exercendam observare conentur. Exemplum sit: Ad cor in Deum erigendum: multiplex actus fidei, spei, amoris et contritionis cum solita Dei praesentia coniunctus. Ad seipsos ordinandos: multiplex abnegatio proprii appetitus, puta septies saltem aut octies singulos dies repetita et cum peculiari oculorum et linguae custodia conciliata. Ad conversationem proximorum: sermo parcus et spiritualis et cura proximis cedendi et placendi quoad, salva disciplina monastica, licebit. Etenim si quis pauca haec monita tenaciter apprehenderet, methodice proficeret et brevi perfectus evaderet.

7. Aliud medium erit extraordinaria Communio iis qui aliquid solito maius et sanctius egerint praemii loco concessa. Solito maius et sanctius intelligimus orationem longiorem, abstinentiam rigidiorem, strictius silentium, modestiam perfectiorem aliaque similia. Medii huius utilitas ex eo perspici-

tur, quod in aliorum exemplum cedit. Ceteri quippe Novitii unum prae ceteris Sacram Eucharistiam sumere cernentes causamque in cultu perfectiore virtutum positam esse scientes, proculdubio aemulationis stimulo tangentur.

8. Aliud medium erit sponsio de alicuius virtutis exercitio prudenter facta. Prudenter scilicet facta: quia nonnulli spirituales viri cursum perfectionis incitaturi sponsiones simul innumeras de plurimarum virtutum cultura in calore spiritus faciunt, cum exploratum sit eos non modo tot tantarumque virtutum studium non posse iuxta sponsionis modum explere, verum neque iuxta humanam fragilitatem tot virtutum posse meminisse. Quocirca eiusmodi sponsiones pereunt cum sonitu verborum quae in iis faciendis ferventer proferuntur. Sponsio ergo quam promovendae perfectioni medium appositum esse dicimus, multiplex esse non debet, sed una vel altera virtute, eaque simplicissima; ut scilicet animus tanto plus virium ad opus unum conferat, quanto minus rerum multitudine dissipatur. Proponet ergo Magister, cum ei expedire videbitur, silentii, exempli causa, certamen extraordinarium ad quindecim aut viginti dies, proposito, v. g., trium missarum praemio ei qui perfectissime omnium a verbis abstinuerit. Dabitque operam huic et similibus aliis mediis adeo discipulos urgere, ut si exercendum sit, nimia potius tenacitate mediocritatem excedant. Hi quippe sunt excessus in Novitiis laudati, qui ad tenendum reliquo vitae cursu medium destinantur. Sponsiones igitur hae sic fiant ut Magister a discipulis extrema propemodum requirat. Sic inter nostros Novitii ita sancte silere solent, ut per menses multos solo cum Magistro verba necessaria faciant; in ceteris vero occasionibus nutibus pro verbis utantur.

9. Aliud medium: ut in sollemnioribus festis, qualia sunt Pascha et alia similia, coram oratorii altari vel alibi Magistro dictante Novitii omnes egregios fidei, spei, amoris, contritionis, magnanimitatis et aliarum virtutum actus, additis quoque gestibus idem significantibus, multa cum animorum et corporum alacritate producant. Nam praeter animorum commotionem, quae (ut dicitur) ad vocem populi solet esse maxima, animi bene ad res divinas affecti in eorum dierum recreationibus religiosius agunt. Ad rem hanc proculdubio conferent virtutum acclamationes et anathematismi vitiorum, de quibus in penultimo huius libri capite scribemus. Huic medio annectimus aliud nostris fratribus usitatum diebus festorum sollemnium, quando scilicet Magister ostenso Sacramento nonnullos fidei, spei, amoris, contritionis aliarumve virtutum actus ardenter proferet, omnibus simul fratribus eadem Magistri verba repetentibus, moxque Communio celebratur.

10. Aliud medium: ut Magister, quasi militum ductor qui suos milites ad urbem expugnandam pro contione adhortatur, Novitios exhortatione in id facta vehementer impellat ad virtutem aliquam eximiam, puta divinam caritatem, fortissimis cordis motibus per quos caelum violenter rapitur, postulandam; et per dies aliquot, puta octo aut decem, detecto quotidie per horam dimidiam sanctissimo Eucharistiae sacramento, omnes ad spem invictissimam concipiendam et cor modico illo tempore validissime in Deum erigendum exhorte-

tur peractaque admonitione brevissima simul cum eis intensissime oret. Medium hoc plane efficax est ad animos exstimulandos et, praeter bona alia multa quae parit, singulare hoc bonum affert, ut Novitii perfecti oratores evadant. Ex uno quippe huiusmodi conatu et experimento cor sursum ferri et languorem, capitalem orationis inimicum, depellere discit; atque adeo statas quotidianae orationis horas utilius quam dici possit insumit. Ex quo efficitur ut occasione huius medii vel alterius similis multi e Novitiis incredibili cordium corporumque mutatione ad totius vitae processum velut in angelos transformentur. Dabit autem operam Magister, cum hoc medio uti decreverit, in conspicuo omnibus Novitiis loco se ad eam dimidiam orationis horam ita corpore vultumque coaptare, ut discipuli eius spiritum et positum seu compositionem corporis imitantes, omnem deformitatem, inquietudinem strepitumque vitare et quasi rem seriam acturi se aptare condiscant. Monebit autem ne nimio corporis capitisque conatu orent; iis quippe in occasionibus novi fratres adhuc spiritualium rerum ignari naturam laedere solent.

11. Media haec ad exemplum proposuimus, ut Magister prudens his utatur et alia horum occasione per se invenire curet ad spiritum alendum et perficiendum. Patres certe nostri status monastici conditores media multa austeriora ad hunc eumdem finem exercuerunt. Quosdam enim funibus ligatos in medium monachorum coetum produci, atque ibi culpas graviores confiteri iubebant. Alios e monachorum coetu velut congregatione iustorum indignos extra coenobii portas pellebant. Alios ridicule indutos tamquam amentes ad medios populos destinabant. Alios insontes severissimis poenis exercebant. Haec et alia similia fortissimis Christi militibus digna praestabant, qui disciplinae monasticae laude claruerunt; nos vero delicati milites leviora experimenta vix ferimus. Bene est ut (Dei gratia) in religione nostra Beatae Virginis et fundatricis nostrae Theresiae sapientia et labore multa quae Patribus antiquis erant in usu, suscitata et in morem inducta sint; optandumque est ut religiosi omnes, Magistri praesertim Novitiorum, ad hanc gloriam maximam Ecclesiae toti utilissimam aspirent.

12. Novissimum prudentiae consilium quod hic Magistro impense commendamus, est oratio assidua, qua cum gemitibus multis a clementissimo Deo ac Redemptore nostro Iesu Christo spiritum sapientiae, et gratiam ad spiritus instruendos et discernendos, et christianam perfectionem promovendam instantissime postulet. Ad functionem quippe tam piam et gravem credendum est praesentissimum Dei auxilium affuturum, si, ut par est, cum fide ac perseverantia postuletur.

PARS TERTIA

De doctrina Novitiis tradenda

Caput I.

De communibus doctrinae capitibus

1. Magna sane doctrinae pars in bono delectu posita est. Mundus quippe libris et scholis plenus est; et tamen paucissimi ad veram sapientiam hac praesertim aetate pertingunt. Quocirca Magister certo apud se statuat rem Deo acceptissimam religionique saluberrimam se facturum, si doctrinae tradendae rationem habeat et prudenter eligat. Ponendum est hic Novitiorum Magistrum insigni doctrina excultum esse debere; non enim virtutes tantummodo egregiae quales in parte prima depinximus, verum et eximia quoque doctrina ad discipulos illuminandos perficiendosque requiritur. Quapropter eae religiones quae auctiore spiritu Dei aguntur, in Magistros novorum fratrum viros doctissimos assumunt. Cuius certe consilii ratio in promptu est: quia sicut ad rudes animos excolendos opus est mira prudentia, ita ad implexas multiplices quaestiones subinde exortas dissolvendas, praesertim quando Novitii nonnulli doctrina pollent et in humilitatis officio continendi sunt, singulari scientia saepissime utendum est; et nisi gratia Dei copiosissima suppleat quod scientiae deesse solet, magisterium istud sua auctoritate ac decore ac proinde fructu inde proventuro proculdubio caret. Experientia quoque hoc ipsum convincit: vix enim dici potest quanto altius imprimatur instructio Magistri quem non modo spiritualem, verum et doctum discipuli noverunt, quam illius cui alterutrum deesse conspiciunt. His ergo positis, Magister ad sana dogmata Novitiis consentanea et ad docendi methodum animum advertat; quae sunt duo capita ad quae omnis pene doctrinae tradendae ratio reducitur. De primo nunc; de secundo in proximo capite scribemus. Et quidem primum caput, quod sanam consentaneamque discipulis doctrinam complectitur, quod ad primam sui partem spectat, nempe ut sana tutave doctrina sit, non prolixe a nobis tractandum est; credendum quippe nihil non pium ac tutum eiusmodi auditoribus praedicandum aut si forte per incogitantiam labatur, a Magistro humili corrigendam, ne simplicibus animis quicquid dicitur velut oraculum accipientibus noceat. Secunda potius huius capitis pars, nimirum ut doctrina Novitiis consentanea sit, longiorem speculationem requirit. Huius vero speculationis duplex labor est: unus in designandis iis quae proportionem habeant; alter in iis excludendis quae a proportione discrepant. Proportionem sane habet doctrina multiplex de orationis studio, de mortificandis passionibus, de virtutibus acquirendis, de modo resistendi tentationibus, de ratione recte ac fructuose confitendi Eucharistiamque sumendi, de modo sacrum audiendi, de ratione religiose recitandi utiliterque legendi, de directione actuum in

Deum, de usu praesentiae Dei aliisque similibus; qui certe campus et latissime patet, et extra controversiam aliis doctrinis anteponendus est. Hunc ergo campum Magister perambulet et Novitios ea fecunditate abunde pascat.

2. Alias vero doctrinas vel subtilitate vel dicendi copia laudatas quibus capita orationis et compunctionis studio dedita obtunduntur, ne nominet quidem. Genus enim quoddam est adulterandi verbum Dei, conceptus metaphysicos et rethoricis exornationibus artificiose coloratos modo genitis in Christo infantibus praedicare. Gravia, sancta, simplicia spiritu Dei afflante prolata pastus proprius Novitiorum est. Huc spectat aliqua sacrae Scripturae lectio, qua Magister nonnumquam uti poterit, id primum observans ut ad spiritum Dei alendum illam novis fratribus attemperet. Idemque ad proportionem de aliis piis lectionibus ad culturam Novitiorum, Magistri sententia, pertinentibus asserendum est.

Caput II.

De modo doctrinae tradendae sive de methodo exhortationum

1. Parum certe proderit exacte nosse quid sit praedicandum, nisi modum bene praedicandi quis noverit. Quocirca de methodo, ut in capite proximo polliciti sumus, nunc agendum est. Principio igitur Magistrum in Domino vehementer hortamur ne fortuito procedat et absque methodo, prout sors tulerit, exhortari satis esse censeat. Sic enim numquam discipulos satis erudiet, dogmata confundet, nihil certi Novitii e contione reportabunt et, anno expleto, rogati de doctrina tradita respondebunt profecto se nihil didicisse; vix enim incomposito illo exhortandi modo aliquid se discere deprehendunt. Loquatur ergo a consilio et tractatum aliquem ex iis quos recensuimus a principio usque ad finem persequatur; illoque absoluto, alium incipiat similiter et absolvat. Exemplum sit tractatus orationis a primordio ad finem usque diserte expositus et discipulis coaptatus, ita ut, absoluto illo, partes orationis exercere et communes orantium errores vitare noverint. Exemplum alterum sit tractatus de passionibus ab initio ad finem usque percursus et Novitiis adeo distincte traditus ut, eo audito, iam seipsos introspicere, passiones suas dignoscere et adversus eas bellum gerere possint. Idem pariter de tractatione alia qualibet dicendum; nempe ut si de virtute aliqua, puta de obedientia, dicere incipiat, principalia eius virtutis capita exponat et ponderet, ita ut Novitii quid obedientia sit, quae circumstantiae ad perfectum eius usum requirantur, quae sint vitia obedientiae integritatem corrumpentia pernoscant. Hoc quippe modo mirum dictu est quantum in monasticae disciplinae peritia praxique proficiant. Profecto brevius quam inexperti credant, novi fratres purgantur et non modica ex parte perficiuntur.

2. Neque huic doctrinae methodo obstat occasio multiplex occurrentes Novitiorum culpas corripiendi, quarum correptio si differretur, restincto illarum sensu aut inutilis, aut parum utilis foret: quia correptio ordinarie brevis esse debet ac proinde tempus persequendis tractatibus coeptis non adimit; aut certe, si ob circumstantias correptio alicuius culpae integram exhortationem exposcat, non inde concluditur, ut passim id contingat, et

omnis exhortationum ordo perturbandus sit. Iam igitur hoc posito, ut Magister non fortuito praedicet, superest ut aliam modi seu methodi observationem accipiat, quae non in rerum quae tractantur ordine, sed in ipso dicendi modo consistit: qui certe modus licet non sit omnibus communis (Dei quippe donum est), est tamen absque dubio mirabilis methodi perfectio, quoad fieri potest, a Magistris omnibus exquirenda. Modus ergo hic ex rationum connexione, actionum decore verborumque proprietate conflatur. Connexio rationum mirifice prodest ad erudiendum et illuminandum; decor actionum iis quae dicuntur vitalem quamdam vim ingenerat, quae ad movendum magnopere confert; verborum proprietas proculdubio delectationem parit. Studeat ergo Magister quae dicturus est apte disponere, rationesque paucas et expensas ad exhortationes singulas connectere. Studeat decoris gestibus proferre, vultum, vocem totiusque corporis motum loco et personis attemperare, excessum, vehementiam, vocis elationem nimiam, quae ad mites Novitiorum animos instruendos minime necessaria sunt, vitare. Studeat denique verba propria sine affectatione sententiis adaptare; superflua quaeque praecidere; doctrinam, quae distincte tradi debet, verborum confessione non obtenebrare. Et quidem observationes hae ex ipsa bene dicendi arte sponte sua nascuntur. Magister vero his contentus esse non debet, sed divinae gratiae auxilio debet inniti, ut, si talento careat, spiritus divinus copiosius adsit; si habeat, spiritu eodem dotes naturae perficiantur ad animos discipulorum excolendos.

Caput III.

De diversis exhortationum modis

1. Cum exhortationes Novitiorum quotidianae esse debeant, ut ex reformatarum religionum usu perspici potest, opera navanda est ut fastidium, quod forma una semper repetita generat, varietate extenuetur. Quocirca Magister studeat novos interdum modos excogitare, qui animos alliciant et novitate intercalata delectent. Nemini quippe dubium est quin delectatio utilitati admista id boni praestet, ut quae utilia sunt et obrepente taedio minus utiliter ab auditoribus acciperentur, avidius ac proinde fructuosius accipiantur, quomodo absque molestia, immo cum voluptate traduntur. Magister ergo praeter communem dicendi morem, qui, si bonus sit, a discipulis perceptus et ex forma cognitus sine ambiguitate prodest, utetur nonnumquam modis aliis qui Novitiis ex consuetudine noti non sint. Exemplum sit: si fratribus circumsedere iussis Magister in media velut area sedens pictam, v. gr., hominis imaginem extensa carta in solo iacentem interpretetur: omnibus scilicet attente spectantibus ipsoque arundine seu virga aliqua in id coaptata partes hominis indicante ubi scilicet passiones excitentur, ubi sit orationis sedes, ubi rerum imagines formentur. Hac enim arte animi capiuntur, delectantur, breviusque et facilius quam vocetenus illuminantur, et salutarem doctrinam imaginibus expressam firmius diutiusque conservant; quod experientia satis compertum est.

2. Modus alius extraordinarius sit, designatis tribus quatuorve Novitiis in oratorii medio sedere iussis et certas sibi ante id tempus a Ma-

gistro traditas interrogationes ad omnium instructionem proponentibus, diserte unicuique respondere ac doctrinam universis fratribus ea forma delectabiliorem efficere. Exemplum sit: si unus e quatuor in medio existentibus sciscitetur qua ratione orationis mentalis partes disponendae ac exercendae sint; si alter roget quali Dei praesentia in officio divino persolvendo sit utendum; si alius petat quo pacto irae passio compescenda sit; si denique alius quaerat quaenam sint perfectae obedientiae conditiones aut circumstantiae, quae passim exerceri debeant. Ecce ex occasione interrogationum Magister doctrinam suaviter variatam discipulis utilius tradet, quam si eamdem solito more semper tradere perseveraret.

3. Modus alius esto unum e Novitiis interrogare quid, v. gr., de statu monastico sentiat; et vel errantem corrigere, vel recte dicentem adiuvare, amplificata scilicet doctrina eo modo quem Magister ipse ad exhortationem praemeditatus fuerat, decernens de bono status monastici disserere. Etenim vel solus ille modus exhortationem incipiendi fratres attentiores efficit.

4. Modus alius a loco extrinsecus affixus sit oratorium a consilio prae diebus aliis ornare floribusve inspargere, ita ut fratres inopini locum illum gratiorem solito inveniant. Ex hoc enim ipso e vestigio coniiciunt aliquid solito maius ibi agendum esse, ac per hoc avidius animos exhortationi adaptant doctrinamque accuratius ponderant. Erit autem ad rem hoc uti modo, cum Magister aliquid magni ponderis Novitiorum animis altius imprimere cupit.

5. Modus alius efficax valde in sacrae Communionis opportunitate inest: ut scilicet statim a Sacramenti receptione, antequam fratres ab oratorio recedant, Magister bene tunc affectos ac molles exhortetur. Porro rem esse utilissimam et ratio et experientia docet.

6. Modus alius compendiosus sit, selecta, exempli gratia, virtute aliqua de qua Magister verba facere decrevit, fratres genua flectere iussos brevissime hortari et maiorem temporis partem producendis virtutis illius et aliarum similium actibus impendere, ita nimirum ut Magister praeeat dicendo affectusque excitando, discipuli vero respondeant firmissime proponendo et omnem difficultatem pro cultu virtutis superare decernendo. Modos hos ad exemplum proposuimus; prudens vero Magister his uti aliosque invenire valebit.

Caput IV.

De scopo exhortationum et via qua Novitii ordinarie ducendi sunt

1. Exhortationum scopus est Novitios purgare, illuminare atque perficere; purgare scilicet a vetustis vitiis et praesentibus culpis ac ignorantia; illuminare clarissima et formosissima luce virtutum; perficere suavissimo divini amoris et unionis studio. Verum discriminis ratio habenda est: quia tertium hoc et omnium plane maximum licet a Novitiis quoque sit optandum, parce tamen exercendum est, cum sit opus perfectiorum et ipsi perfecti non sint. Debent illi sane a principio instrui ut actus omnes suos amore Dei sive propter Deum efficere conentur. Etsi enim incipientes sint, non ob id finem inspicere non debent; si enim diligunt Deum super omnia, quippe qui aliter nec incipientes quidem essent, aequum erit ut propter illum om-

nia agere meminerint quem super omnia et propter quem omnia diligere coeperunt. At caveant ne exercitia illa sublimia, quae animas passionum victoriis et virtutum iam luminibus illustratas decent, audacter attingant. Omnia quippe tempus habent. Magister ergo ne permittat discipulos ordinem invertere, sed moneat ut oculos mentis in statum perfectorum intendentes et eo pertingere satagentes, viam quae vitiorum expurgatio et virtutum acquisitio est, invicta fortitudine conficiant. Dabitque operam ut similes evadant *viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* (1). Exhortationesque in idipsum diriget, meditationes et exercitia pariter in eumdem hunc scopum collineabit (2). Cavebit igitur errorem illum enormem quo plerique non modo saeculares, verum et religiosi apparenter spirituales tenentur, qui nescio quibus internis actibus intentissimi de mortificandis passionibus, de propria voluntate iudicioque abnegando, de carne maceranda, de virtutibus per sudores et agones comparandis minime cogitant. Studebit potius ut Novitii haec omnia quae via vitae arcta complectitur, mente complectantur et exsequantur, ut legitime certent. Huc labor pene omnis debet incumbere: quia hic omnis pene difficultas sita est. Docebit ergo Novitios recenter indutos initium sapientiae, timorem scilicet Domini (3), instruetque illos quatuor novissimorum meditationibus. Docebit modum mortificandi passiones ac simul malos vitiorum habitus contrariarum virtutum actibus extirpandi. Inducet illos sensim in meditationem et imitationem passionis Iesu Christi Domini Nostri. Et hanc methodum ordinarie servabit, nisi Novitius aliquis iusta de causa, puta quia in saeculo haec ipsa satis praestitit vel quia eius spiritus bene exploratus singulare quippiam persuadet, aliter ducendus esset; sanctum denique odium parentum, amicorum et omnium bonorum mundi perfectamque renuntiationem omnibus recenter indutis persuadebit.

Caput V.

De regulis in exhortatione observandis

1. Neminem e viris spiritualibus fugit observationes peculiares ad salubriter hortandum esse necessarias: multa quippe ibi temperanda, multa leniter, multa graviter proferenda, multa praetereunda et aliis modis varianda. *Prima* ergo *regula* sit: Ut Magister amorem potius quam timorem dicendo captet. Sic cordium dominus erit et Novitios flectet quo voluerit. *Secunda regula*: In correptionibus ne utatur verbis contumeliosis, sed suavibus et ad cor emolliendum opportunis. *Tertia regula*: Ne sit minax, gravia supplicia crebre praedicens, si quis ei praecipienti non paruerit; experientia quippe constat eas minas vulgo parum prodesse. *Quarta regula*: Ne vociferetur; neque enim locus vel auditores id requirunt. *Quinta regula*: Ne nimis graviter vel imperiose loquatur: sic enim animos alienaret. *Sexta regula*: Excuset interdum culpas extraordinarias quas commissas fuisse novit, aiens difficile creditu esse eas, nisi per incogitantiam, admissas fuisse; et mox sic excusatas et a personis abstractas vehementer exsecretur.

(1) *Matth.*, c. VII, v. 24.

(2) In ed. 1771-1774, t. III, p. 241b, legitur: « *collimabit* » pro « *collineabit* ».

(3) *Psalm.* 110, v. 10.

Septima regula: Leviores imperfectiones in quas aliquis saepe monitus relabitur, saepe in exhortationibus dissimulet: maius quippe scandalum seu damnum culpa saepe repetita et notata aliis infert quam sit bonum quod correptio crebro repetita relabenti affert. Privatim vero illum admonebit. *Octava regula*: Religionis amorem et minimarum quoque caeremoniarum aestimationem saepe persuadeat et repetat. *Nona regula*: Verarum virtutum amorem, culparum et imperfectionum odium frequenter commendet. *Decima regula*: Ante sollemnissima festa hortabitur ad idoneam praeparationem levi aliqua re, puta trina prostratione, vel actu alio simili per dies aliquot communiter iniuncto ad spiritum excitandum, ut maiora discipuli privatim poscant. *Undecima regula*: Hortabitur crebro ad regularem observantiam, ut fratres celerrime in actus communes, signo dato, conveniant et tabellas ad matutinum et orationem pulsari solitas arripiant. *Duodecima regula*: Monebit frequenter ut perennis illa oratio (1) quae a fratribus nostris coram Sacramento fieri consuevit, fidelissime exerceatur. *Decima tertia regula*: Hortabitur saepe modosque praescribet ad modestissime cum aliis agendum, sive cum religiosis, sive, ubi occasio id tulerit, cum saecularibus; neque Novitios rudes et insuaves esse patietur. Regulas has exempli causa propositas aliasque similes quas per se Magister inveniet, ad fratrum culturam observabit.

Caput VI.

De exigenda ratione (1) exhortationum

1. Monebit Magister ne Novitii saecularium more audiendis exhortationibus assuescant, quasi satis eis sit modico illo tempore quo fit exhortatio ad pietatem inflammari, neque aliud in posterum prospicere. Sic enim Magistrum audire debent, ut scientiam sanctorum ediscant et quae didicerint, ad posteriorem usum conservent. Exiget ergo nonnumquam eorum quae dixit rationem, ut discipulos vigilantiores efficiat; monebitque ut selectissimas aliquot exhortationum sententias aut verba sacrae Scripturae vel sanctorum quibus Novitii se commoveri senserunt, scripto notent; et ad eas relegendas, tempore praesertim ariditatis, inducat. Quam sit autem rationi consentanea persuasio haec, ex eo perspicitur quod viri spirituales ex sanctorum doctrina student ea vitare quibus anima arescit, illa vero diligenter exquirere quibus devotionis sensus excitatur. Atque ideo consilium saluberrimum est ut Novitius quisque a suae renuntiationis initio huic sanctorum doctrinae acquiescat, et in codice notet non multas aut longas, sed paucas brevesque sententias quae cor emolliant, compunctionis sensum ingenerent, desideria aeternorum bonorum excitent, moerorem expellant et religiosos alacres ad omne pietatis opus expediant.

2. Verum quo Novitiorum fidem et animum Magister experiatur, ad rem erit ut omnes ad locum oppor-

(1) In ed. 1711-1774, t. III, p. 242a legitur: « *ratio* » pro « *oratio* ».

(1) In ed. 1771-1774, t. III, p. 242a, legitur: « *oratione* » pro « *ratione* ».

tunum quandoque convocet, et quae dictabit scripto excipere iubeat. Dictabit autem pauca et facile selecta, quae ipse novit eis profutura; monebitque ut parati sint ea, cum rogati fuerint, fideliter referre. Haec autem quae tunc suggeret, esse poterunt documenta aliqua quae memoria retinere magni ponderis sit, vel verba aliqua quibus communiter omnium Novitiorum animos inflammatos fuisse compertum est. Postquam vero in memoriae exercitium devenimus, utile consilium erit Novitios in propria ipsorum *Instructione* exercere, proposito nimirum praemio aliquo ei qui rogatus de prima verbi gratia aut secunda *Instructionis* parte, summam paragraphi cuiuslibet fidelius promptiusque retulerit. Sic enim aemulatione alterutra proficient tempusque in re utilissima fructuose insument; quod in tenera praesertim aetate maximi ponderis est.

Caput *VII.*

De distributione exhortationum ac tempore exhortationi praefigendo

1. Ponendum est hic singulis diebus, excepta die qua capitulum per hebdomadas singulas celebratur, exhortationem faciendam esse; quod Magister fidissime observabit, ne conceptus Spiritus Sancti calor elangueat. Sic autem exhortationum dies temperandi sunt, ut non semper ibi de culparum correptione agatur. Feria ergo secunda et quarta (sollemni festo seu professionis die aliud non exigente) fratres a zelatore (qui erit Magistri socius) admonitos vel a seipsis accusatos breviter corripiet; moxque exhortationem habebit.

2. Feria vero tertia et sabbato exiget rationem de cultu virtutum quibus eo tempore fratres studuerint; simulque de praesentia Dei, hoc est, quo pacto iis diebus Deum praesentem cogitare et cor in ipsum erigere assuescant; quo item modo Dei praesentiam cum virtute quam per hebdomadam illam colere nituntur, conciliare studeant. Debent enim meditationes seu bonas cogitationes a Dei praesentia enascentes ita virtuti de qua paranda cogitant, adaptare, ut vim a praesentia Dei conceptam ad virtutem acquirendam conferant, quemadmodum fratres nostri semper consueverunt.

3. Feria quinta exhortatio ordinaria fiet sicut et die dominica, nisi contio in ecclesia habeatur, cui in loco a saecularibus separato atque tecto Novitii cum ceteris fratribus intererunt. Iam vero omnibus iis diebus quibus fratres Novitii Eucharistiam sument, loco recreationis solitae fiet spiritualis collatio de festo vel evangelio occurrente, vel de re quavis ad spiritualem profectum opportuna, Magistro sciscitante ab unoquoque discipulo ac deinde ex collatis singulorum sententiis proposita definiente (1). Ubi iubere poterit ut quisque dubia quaevis de exercitiis, actibus vel universe de spirituali profectu proponat, eaque decidet, ut responso uno cuncti erudiantur. Si autem res ardua sit, responsum differat quousque rem pertractet et, si opus fuerit, alios consulat. Quod ad exhortationis tempus spectat, ultra horam dimidiam exhortatio non procurrat, nisi extraordinaria ali-

(1) *Constitutiones*, part. I, cap. 7, num. 58; Romae, 1928, p. 30: *Fratres... semel in hebdomada de Eucharistia, aut sollemnitate occurrente, vel quovis simili, brevem collationem spiritualem tempore solitae recreationis meridianae habeant.*

qua ratio oppositum persuadeat. Eiusmodi quippe tempus sufficit ad spiritualem quotidianumque pastum; experientiaque constat spirituales etiam auditores e prolixis contionibus insigne damnum accipere. Nam quod ad certam usque metam, puta ad horam usque dimidiam profuerat animumque ad pietatem excitaverat, succedente contionis aequo longioris taedio, ab anima prolixitatem fastidiente velut evomitur. Subest efficax ratio multiplex ad rem hanc persuadendam: nam cursus exhortationum non una tantum quadragesima vel alio tempore definito durat, sed perennis est, ac ideo mediocritate temperandus. Praeterea Novitiorum animi non indigent praemiis et verborum apparatu aut eruditione multa, quae publicarum contionum partem exiguam sibi vendicant; sed mera instructione vel modica affectus excitatione. Deinde vel Magister suaviter dicit, vel insuaviter; si hoc secundum, perspectum est tempus dicendi corripi debere, ne nimis displiceat et gravet; si primum, prudentia suggerit né suavitatem prolixitate sive importunitate perdat, praeterquam quod rectius consilium est auditores audiendi cupidos quam saturatos relinquere. Appetentia quippe instructionis spiritum alit, saturitas fastidium creat.

Caput VIII.

De catalogo eorum quae a Magistro docenda sunt cum subiectis annotationibus

1. Fratres omnes recenter indutos instruet christianae doctrinae notitia perfectiore quam quae in saeculo passim habetur.

Annotatio. Fidei mysteria ita Novitiis explicabit ut non sola quantumvis fideli articulorum fidei memoria contenti sint, sed ut mysteriorum sensum capiant et rationem eorum aliquam reddere norint. Expedit enim in oblatis plerisque occasionibus non modo fratres choristas, verum et laicos et donatos doctrinae christianae praecones esse, praesertim cum de missionibus cogitemus. — Docebit divinae legis praecepta altiore modo quam qui apud saeculares in usu est, aestimare et in medio corde recondere.

Annotatio. Exponet brevissime decalogi fontes et praecepta, ita ut Novitii maiorem solito eorum notitiam pariant. Quid scilicet sit Deum super omnia diligere ex toto corde. Quid sit Deum colere. Quid sit proximum sicut seipsos diligere, etc. — Docebit votorum sollemnium sensum et obligandi vim.

Annotatio. Breviter exponet quid sit vovere Deo, quomodo obediendum ut voto satisfiat, quomodo sit observandum votum castitatis et paupertatis et votum item non ambiendi quod Congregatio nostra adiecit. Si enim vota haec in professione emissuri sunt, aequum est illorum vim sensumque pernoscant. — Docebit Regulae obligationem et sensum ad brevissima capita redactum.

Annotatio. Sine ullis quaestionibus tutiores Regulae interpretationes Novitiis tradet, ostendetque quonam modo in Regulae transgressione peccetur.

2. Docebit *Constitutionum* obligationem.

Annotatio. Non est necesse Constitutionum volumen percurrere, neque vero aliquid ex eis, nisi Magister rogetur, interpretari; cum Constitutiones eae quae passim observandae sunt, perspicuae sint, et in refectorio quotidie per capita legantur. Illarum ergo observationem aestimationemque monebit. —

Docebit *Instructionum* observationem.

Annotatio. Nihil hic immorari opus erit, sed Novitios admonere ut *Instructiones* officiorum quae exercent, fidissime servent; easque statim ac officia eis iniunguntur, attente legant. — Docebit compendium orationis quod in *Instructione Novitiorum* (1) habetur.

Annotatio. Compendium illud complectitur quicquid ordinarie a scriptoribus de oratione mentali traditur. Et adiecta brevi Magistri expositione, Novitii de re hac plane gravissima sufficienter instruentur. — Docebit modum mortificandi passiones.

Annotatio. Explanabit tractatum de passionibus qui habetur in *Instructione Novitiorum* (2) dabitque operam ut singuli et passionum numerum et mortificandi modos distincte sciant atque exerceant. Scientia quippe haec proculdubio utilissima est. — Docebit modum parandi virtutes.

Annotatio. Uti poterit doctrina quae habetur in secunda parte *Instructionis Novitiorum* (3); curabitque ut interiores et exteriores virtutum actus proprie ac prompte producere noverint; et uti rem summopere necessariam eis hanc peritiam commendabit. — Docebit modum recte peccata confitendi.

Annotatio. Praescribet Novitiis conscientiam examinandi formulam ad brevissima et paucissima capita redactam: ut scilicet per cogitationes, verba et opera et omissiones discurrant; et (quod caput est) rationes sive (ut vulgo dicimus) motiva ad contritionem concipiendam in promptu habeant. Mox vero ad Magistri pedes provoluti, praemissa dimidia confessione generali, summa cum animi demissione culpas per supradicta capita distincte recenseant sub finemque aliquid ex anteacta vita determinatum, puta praeteritae vitae mendacia, proferant totiusque vitae peccata universe propter Deum summe dilectum formaliter detestentur, ac in posterum non peccare certissime statuant (4). — Docebit modum recte communicandi.

Annotatio. Modus hic ex tribus componitur: ex idonea praeparatione, ex humili religiosaque sumptione, ex gratiarum actione. Magister ergo doceat Novitios idoneam praeparationem, qualis esset exercitatio fidei, spei et amoris per multiplices actus in sanctam Eucharistiam directos. Idoneam item sumptionem cum animi demissione ac divinae unionis desiderio; debitam quoque gratiarum actionem summa aestimatione tanti doni ac integra voluntate Deo perfectissime placendi constantem. Concurque discipulos ad sacramentorum usum et venerationem vehementer afficere. — Docebit modum Dei praesentiam ubique animo pertractandi.

Annotatio. Instruendi sunt Novitii quid Dei praesentia sit, quibus modis exercenda, quo pacto memoria retinenda, ut in eorum *Instructione* (5) notatum est. Providebitque Magister remedia fratribus nostris usitata ad Dei praesentiam iugiter recolendam et fragilem memoriam adiuvandam; cuiusmodi

(1) Part. III, cap. 2; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 205b-208b.

(2) Part. I; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 140a-150b.

(3) Ed. cit., t. III, pp. 150b-204b.

(4) Cf. supra, p. 32, nota (1), ubi novae legislationis ecclesiasticae textum retulimus.

(5) Part. III, cap. 2, num. 2 et part. IV, cap. 3; *Opera omnia*, ed. cit., t. III, pp. 206b-207a et 214b-215a.

sunt funiculi brachiis religati, nodi cingulorum et alia similia. — Docebit matutinam et diurnam actuum directionem.

Annotatio. Sit Magister diligentissimus animorum in Deum excitator et discipulos erigendae in Deum mentis peritissimos efficiat; ita ut actus singulos expedite in Deum referre ac singulos in multiplices multarum virtutum fines dirigere noverint (6). Eo quippe studio et exercitio mirum est quantopere animus incalescat meritaque multiplicet. — Docebit modum religiose ac fructuose recitandi.

Annotatio. Curet Magister animis Novitiorum modum quemdam recitandi sive psallendi vere gravem, solidum et ecclesiasticum imprimere. Ne scilicet in errorem illum degenerent qui multorum animos implicuit et capita debilia fecit. Multi nimirum officio divino tot tamque multiplices amoris, adorationis, spei et aliarum virtutum actus admiscent ut vix respirandi locus supersit; atque ideo sollicite admodum et inquiete officium persolvunt et caput spirituali vitae ineptum reddunt. Sanius consilium est, quod est Ecclesiae menti magis consentaneum, ut nempe qui officium recitant, conceptus illos ab Spiritu Sancto dictatos et ut recitentur et cogitentur clericis assignatos ita mente pertractent, ut quae dicunt sensu complecti et affectus illis divinis sententiis conformes excitare nitantur, paucis interdum actibus, puta spei, amoris, timoris, intercalaris, qui neque certo numero comprehendantur, neque ad peculiaria quaedam obiecta mentem distrahentia dirigantur. Eo quippe ipso quod quis certum adorationum, verbi gratia, numerum et certa quaedam obiecta, puta primo versu lateris Christi vulnus, secundo manum dexteram, tertio sinistram, sibi praefixit, profecto ab officio divino graviter utiliterque dicendo longe divertitur et valetudini vehementer officit. Neque huic doctrinae obstat Novitiorum inscitia, utpote qui psalmorum et aliorum librorum canonicorum sensum non omnino capiant: nam et partem capiunt; et hunc recitandi modum eo dirigimus, ut processu temporis omnia quae in officio divino recitantur, callere possint. — Docebit modum quo actibus communibus interesse debent.

Annotatio. Percurret Magister communes actus et spiritum proprium actus cuiusque explicabit, ut exempli gratia, in capitulo compuncti, in refectorio temperantes, in lectione attenti, in recreatione hilares et modesti sint; atque ad eum modum ceteris actibus et animos fratrum et corpora coaptabit. — Docebit modum agendi cum aliis religiosis, qui sit omnino spiritualis.

Annotatio. Enitatur Magister quum sollicite poterit, Novitios vere spirituales efficere; ut scilicet rerum caelestium meditatione ac sermone delectentur. Ne videlicet, cum colloquendi occasio se offert, statim ad res inanes ferantur, sed sponte spiritualia, quae professionis monasticae sunt, inter se tractent totiusque corporis moderatione imaginem veri religiosi repraesentent. — Docebit modum agendi cum saecularibus, qui sit parcus et ex hilaritate ac gravitate temperatus.

Annotatio. Monebit Novitios ad totius vitae cursum ut saecula-

(6) Cf. *Instructio Novitiorum*, part. IV, cap. 2; *Opera omnia*, ed. cit., t. III, pp. 213b-214b.

rium, quantumvis propinquorum, familiaritatem (quoad per obedientiam licebit) tamquam rem boni spiritus inimicam vitent. Quando vero vitari non possit, parce, comiter et graviter agant; semperque illos ad pietatem verbo sive exemplo excitare conentur. — Docebit et alia multa, quae cum minutiora sint, vix possunt ad capita certa reduci: e quibus multa in quarta parte tangemus. Iam vero ex catalogo praemisso perspici potest quam vigil ac sedulus Magister esse debeat, qui adeo laboriosam, gravem, variam atque difficilem culturam exercet.

Caput IX.

De iis quae in educatione Novitiorum praesertin cavenda sunt

1. Ad Magistri proculdubio doctrinam pertinet non modo nosse quae sint agenda (de quibus scripsimus), verum et quae non sunt agenda seu quae sint fugienda, pernoscere atque monere. Et quamvis haec pene innumera sint, Deo tamen propitio, graviora ex iis subiiciemus, ut Magister in promptu habeat catalogum eorum malorum quae debet exterminare.

2. *Primum malum.* Infidelitas contra Magistrum. Malum hoc plane gravissimum et velut omnium malorum quibus monachi vexantur, origo est: opponitur quippe bono maximo et ceterorum bonorum origini, hoc est, fidei erga eum qui personam Christi gerit, per quem quasi per canalem quemdam omnia in Novitios fideles bona corrivantur. Expellet hoc malum Magister si caritate insigni cum discipulis mitissime versetur.

3. *Secundum malum.* Susurrus: quando scilicet Novitii tentati alios verbis parum salutaribus perturbant et vel suae tentationis consortes efficiunt, vel saltem a monasticae disciplinae studio divertunt. Quod certe malum ingens est et in Novitiis natu maioribus, cum tentantur, frequentius solet inveniri. Huic malo succurret Magister, si mox ac aliquem eiusmodi tentatione vexatum cognoverit, per se aut per socium fidum sibi assignatum omnia lustret ne alicubi ille male affectus lateat, ubi alios inficiat; expedietque illum multis occupationibus distinere in locis perviis, ubi saepe visitetur.

4. *Tertium malum.* Licentia eorum qui cum reliquorum scandalo vel audacter loquuntur, vel operantur, omninoque cum Magistro quasi luctantur. Permittit quippe Deus eiusmodi occasiones accidere, ut qui probati sunt, proficiant et manifesti fiant. Huic malo fortiter obstandum est et festinandum ut qui protervus est aliisque scandalo nocet, ut cito serioque recedat. Corripiet ergo illum severe Magister et expulsionem praenuntiabit nisi confestim ad se redeat. Dabitque operam ut Superior omnia noverit et iustitiam maturet. Importuna enim hic misericordia est, cuius abusu alii audere discent.

5. *Quartum malum.* Singularis familiaritas eorum qui vel ob ingenii similitudinem vel aliam quamvis ob causam non sine aliorum nota occasionibus oblatis vel quaesitis simul versari assuescunt. Malum hoc a disciplina monastica longe distat; quocirca Magister eiusmodi familiares corripiet et ut indifferenter cum aliis versentur, iniunget. Quod si relabantur, poenas imponet sensimque augebit donec illos abiungat.

6. *Quintum malum.* Nimia cura sui. Nonnulli quippe, ex iis praesertim qui in saeculo diu ac mol-

liter vixerunt, peregrina quaedam dogmata de tuenda sanitate in religionem secum ferunt atque servare student. Hi sunt hostes disciplinae monasticae eo sane peiores quo pallio sanctiore teguntur. Magister ergo illos ab hac sui cura graviter dehortabitur et rigidius exercebit, cavebitque vigilantissime ne alii eam doctrinam ediscant.

7. *Sextum malum.* Abusus caritatis: malum scilicet affine huic proxime dicto; quod accidere solet iis qui cum leviter aegrotaverint, numquam (ut ita dicamus) convalescunt. Et inde subit tepor spiritus; orationis, chori et ceterorum actuum odium; quasi disciplina monastica morbi causa extiterit. Accedit quod culcitras et lintea vel alias commoditates, caritate christiana dignas in officinam non referunt, donec a Magistro moneantur. Atque hi cum otiose discurrant, sub nondum recuperatae sanitatis praetextu socios requirunt multisque modis animo potius quam corpore aegrotant. Erit ergo vigil Magister ad hos reformandos ac suaviter in ceterorum ordinem redigendos. Visitabit hos eorumque cellas explorabit, ac illa velut idola commoditatum custodiae legum inimica auferenda curabit.

8. *Septimum malum.* Nimius amor actuum minus spiritualium. Experientia quippe quotidiana compertum est Novitios choristas affici ad laicorum donatorumve obsequia, quamtumvis laboriosa, iis praesertim horis quibus officium divinum recitatur vel fit mentalis oratio; spiritu scilicet maligno instigante ut functiones eas, quae illorum propriae Deoque proximae sunt, tenuiter ament. Hos Magister statim ac exploratos habuerit, admonebit et ad oratorium chorumque reducere conabitur.

9. *Octavum malum.* Audacia officiorum occasione colorata. Passim quippe accidit ut Novitii quibus ea officia iniunguntur, quae in Magistri vel Patrum praesentia non exercentur, pene omnia sibi licere existiment. Hinc efficitur ut ministri infirmorum (quod exempli gratia dictum sit) verbosi, contentiosi, immodesti, legum interpretes per innumeras occasiones evadant. Hos ergo Magister crebro ad se vocabit, et imparatos visitabit, ne dum aliis sanitatem afferre nituntur, ipsi graviter decumbant.

10. Mala haec quae ad memoriam et diligentiam Magistri adiuvandam protulimus, aliis multis explorandis et corrigendis viam facient. Sit igitur Magister in explorando oculatissimus, in medendo promptissimus, ut cum divinae gratiae auxilio, quod ei proculdubio aderit, religionis bonum tueatur, dum Novitios instruit, obsecrat, increpat et nihil sedulitatis praetermittit.

PARS QUARTA

De Exercitiis et varia Novitiorum disciplina

Caput I.

De electione ac exercitio virtutis menstruae

1. Initio cuiusque mensis eliget Magister virtutem unam qua Novitiorum coetum magis ad perfectionem promovendum existimat, et ad universale certamen eam proponet sub verbis in *Novitiorum Instructione* (1) praescriptis. Ut si (exempli causa) oculorum licentiam inter fratres deprehendit, virtutem modestiae colendam proponat et in exhortatione eius virtutis amorem et aestimationem discipulorum animis ingenerare conetur. Monebit in mensis illius decursu, quoties ei opportunum videbitur, ne fratres virtutem initio selectam et commendatam oblivioni tradant, verum de illa paranda saepe cogitent et mediis appositis utantur. Licet ad hanc virtutem designandam communis indigentiae ratio habenda sit, saepe tamen temporis ratio habenda est; incidentibus nempe festis sollemnissimis atque coniunctis quae proprias mysteriisque debitas virtutes exposcunt. Sic intra mensem, occurentibus festis Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi et aliis ad eamdem proportionem Nativitati Christi pene contiguis, curet Magister laetiores virtutes assignare, quibus fratres simul festa laetissima celebrent spirituque proficiant. Navet operam ne discipuli virtutis semel designatae atque ad culturam sub legitimo certamine propositae ignari expertesque remaneant, ponderetque occasionem proficiendi a Deo oblatam et novorum militum captui attemperatam, qua si (ut decet) utantur (2), multiplices de virtutum agone coronas accepturi sint.

Caput II.

De virtutis delectu per hebdomadas

1. Praeter eam virtutem quae singulorum mensium certamini praefigitur, per singulas hebdomadas virtus alia ab unoquoque seligenda est, cui iis paucis diebus accuratissime studeat. Eligetur haec virtus exhortationis tempore pro cuiusque desiderio ex anteacta rei meditatione concepto, quo in eventu non eadem, ut ex se patet, ab omnibus eligetur; sed Magister a singulis quam virtutem optent, sciscitabitur, singulorumque optatis annuet, nisi male eligendo errent. Vel certe Magister ipse salutarem fore universis discipulis virtutem unam conspiciens, eam omnibus hebdomada illa colendam iniunget. Meminerit virtuti parandae media praescribere et ad sanctum utilissimi huius exercitii propositum indefesse Novitios adhortari. Ex frequentia enim electionis obrepit modicae aestimationis tentatio quae animi vires enervat.

---

(1) *Instructio Novitiorum*, part. IV, cap. 1, § *Exercitia menstrua*, *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, p. 213a.

(2) Sic in I ed. Neapoli, 1608, p. 149. In *Op. om.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 246a, legitur: « *utuntur* » pro « *utantur* ».

Quando autem Novitii singuli ordinate interrogati virtutes diversas eligent, docebit quo pacto in eligenda virtute indigentiae propriae rationem habere debeant, ut scilicet eam optent qua se magis indigere cognoscunt. Hortabitur, ut post eam electionem unusquisque in propria illorum *Instructione* electae virtutis caput legat, actus notet ac discat, rationes quibus animus ad opus inpenditur, expendat. Studio ac labore cuiusque per experimenta probato, plerumque expediet ut virtutem eamdem quis saepius eligat per hebdomadas aliquot proximas, donec iterato exercitio nonnullos aut certe multos progressus se in ea virtute fecisse sentiat. Quod tunc praesertim expedire videtur, cum passione aliqua vehementius infestatur. Ipsa quippe vexationis magnitudo postulat, ut remedium idem, cum appositum sit et repetitum, animam persanare possit, a Magistri quasi prudentis medici consilio identidem applicetur.

Caput III.

De spiritualibus Novitiorum exercitiis et praeparatione ad professionem

1. Magister dabit operam ut omnes Novitii infra suae probationis annum spiritualia exercitia faciant in loco designato, ubi per dies aliquot soli morabuntur et orationis ac piae lectionis pastu confirmabuntur ad reliquam viam celerius perfectiusque conficiendam. Tunc accurata discussione et intima peccatorum contritione confessio generalis fieri poterit, nisi iusta de causa ante id tempus facta fuerit. Atque ad eum modum Novitii qui exercentur, puriores evadent. Erit rationi consentaneum ut tempus quo Novitius quisque spiritualibus his exercitiis vacat, sit professioni proximum, ut rem tantam seorsim alte praemeditetur et de Magistri consilio opportunis meditationibus et actibus ad eam se comparare studeat. Inter alios praeparationis actus erit ad rem formulam praeparationis ad professionem quae in *Instructione Novitiorum* (1) habetur, per dies aliquot ter vel quater ex animo legere illosque affectus serio concipere.

2. Iis diebus qui exercitiis destinantur, Magister fratres ibi Deo vacantes frequenter visitabit, et rationem rerum exiget, atque salutaribus monitis instruet. Curet Magister fratres qui exercentur, firmissimo aliquo peculiari pacto cum Deo coniungere, ut scilicet in posterum eo pacto se obligatos sentiant ad aliquid solito sanctius Iesu Christi amore praestandum; ut si quis (exempli gratia) verbosus vel immodestus fuerit, ex quo cum Deo pepigit se in posterum tacitum modestumve futurum, se strictissime vinctum sentiat et in proposito perseveret. Atque hic certe uberrimus et ad aliorum exemplum efficacissimus exercitiorum fructus erit. Sedulo curet tempus antevertere, ut qui habent temporalia bona et testamentum aut aliud dispositionis genus, facturi sunt ante postremos illos dies, studio rerum internarum et gravissimo professionis actui praemeditando assignatos, seipsos expediant. Iis quippe diebus saeculares cogitationes non solum importunae, sed spiritus divini capitales inimicae sunt.

(1) Part. IV, cap. 5, num. 2; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 215b-216b.

Caput IV.

De exercitiis ante sanctiora tempora fieri solitis

1. Praeter eam animi praeparationem quae ante sollemnissima festa fieri solet, mos inter fratres nostros invaluit ut, appropinquante adventu, quadragesima cursuque illo ieiuniorum Ordinis proprio, Magister Novitios admoneat et praescriptis exercitiis internis ac externis ad ulteriorem perfectionem comparandam opportunis praemuniat. Diebus ergo decretis illos ad cursum adhortabitur et ad rem ferventius ac fructuosius praestandam praecipiet, ut quisque si animadverterit actum aliquem communem lentescere, vel oblivione sensim deleri, aut actum aliquem ad perfectionem desiderari, scripto notet atque ad ipsum deferat ut perfectionem monasticam promovendam curet. At caveat ne temere novos ritus inducat vel quicquam immutet. Per hoc tempus ad spiritum alendum mitti solent spiritualia certamina Magistri ac Novitiorum omnium nominibus subscripta ex uno in aliud aut alia religionis coenobia; quod ad animos aemulatione sancta extimulandos mutuaque caritate delectandos plurimum ponderis habet. Haec ergo certamina Magister oblivioni ne tradat.

Caput V.

De officiis ad Novitiatum spectantibus iniungendis

1. Quamquam ad partes Magistri pertineat singulos Novitios officiis omnibus instruere, ut postquam professionem emiserint, omnia per oblatas occasiones exercere valeant, curare tamen debet ut ad officia nonnulla peculiari observatione digna non omnes promiscue designet. Huiusmodi est ianitoris officium, quod singularem modestiam comitatemque requirit. Quocirca iis qui inter Novitios modestissimi fuerint, hoc officium iniunget. Sacristam oratorii similiter praevia modestiae ac devotionis consideratione qua minister is praestare debet, creabit et creato cultum Beatissimae Virginis summopere commendabit. Hortabitur ministros ut sedulo agant et ea quae communiter praeparanda sunt, adeo mature expediant, ut nullus ob eorum incuriam communitatis actus retardetur. Quod si in eo genere negligentes fuerint, severe corripiat.

Caput VI.

De exercitio mortificationis ac paupertatis alendo

1. Ad mortificationis studium et cultum alendum Magister Novitiorum fratres in ordinarias culpas prolapsos interdum leniter flagellabit, tergi parte modeste detecta; atque ad eum usum virgarum fasciculum sepositum in oratorio habebit. Ad eumdem finem ordinaria mortificationis instrumenta, puta ad oculos velandos et os obstruendum, modo huic, modo illi vel petita concedet, vel non postulata iniunget. Nunc lapillum ore gerere, nunc absque capucio coniunctis manibus prae chori vel oratorii foribus hunc vel illum genuflexum per modicum tempus orare iubebit. Ac denique alia omnia mortificationum genera quae in morem sanctissime inducta sunt (1), tueri conabitur. Navet operam ut inter alia universa divitem Iesu Christi paupertatem fratres colant et aemulatione multa perenniter

(1) Sic in *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 247b. In I ed. 1608, p. 156, legitur: ... *omnia, quae in mortificationum genera morem sanctissime...*

adeo affectent, ut nihil in hoc mundo, ne vestes quidem quibus teguntur, aut alia quibus necessario utuntur, possidere velint. Quocirca, iuxta morem Religionis antiquum, vestes, libros, imagines cellasque frequenter mutet, ne forte incauta iuvenum corda (2) eiusmodi rebus nimis adhaereant, et a perfectionis cursu retardentur.

Caput VII.

De exercitiis in recreationis loco ac tempore fieri solitis

1. Alat Magister utilem illum morem Novitios absque fastidio erudiendi in ipso recreationis loco, ubi multa discuntur quae modicam animi attentionem requirunt, ac proinde minime vexant, neque formam recreationis immutant. Docebit ibi fratres in chorum duplicem discretos modum canendi religioni conformem, errantesque instruet laetaque nonnulla admiscebit. Docebit modum clare, sedate distincteque legendi, qui ad commovendos animos efficax sit; vitiaque prolationis et accentus emendabit. Docebit officii divini regulas sive rubricas, ita ut Novitii ante professionis diem regulas officii sufficienter exploratas habeant; quandoquidem ad officium persolvendum una cum professione obligandi sunt. Docebit ibi modos plurimos utiles simul ac laetos standi, sedendi, incedendi, capitis, brachiorum totiusque corporis moderationem, prout in *Novitiorum Instructione* (1) traditur. Docebit ibi interdum nonnullas caeremonias ad ministerium missae, vel chori, vel aliorum locorum attinentes, ut fratres perfecte ac expedite illas exerceant. Docebit alia leviora quorum fratres non decet ignaros esse, ut vestes resarcire, legumina purgare, lintea plicare et eius generis alia quibus animus corpusve minime gravatur. Quando vero excercitia haec in recreationis loco fiunt, caveat Magister ne Novitii capite nimium demisso, taciti ac moesti permaneant, illosque nonnullis intercalatis interrogationibus exhilaret. Quod aeque animadvertendum est quoties aliquid ibidem legitur; ne scilicet Magister sinat fratres per tempus illud modicum ita tacitos et lectioni intentos esse, ac si contionem audirent: spiritualis quippe doctrina locorum ac temporum discrimen observat.

Caput VIII.

De exercitiis ad valetudinem conferentibus

1. Expedit proculdubio ad valetudinem animae corporisque tuendam Novitios variis officiis et attemperatis laboribus exercere. Quocirca pars disciplinae monasticae est labor aliquis cum moderatione susceptus, ut ex Sanctorum Patrum historiis facile constat. Magister ergo cum per tempus licebit, Novitios vel omnes vel aliquos in hortum mittet ad inutiles herbas evellendas, ad vias scopis mundandas, ad areas irrigandas vel quid simile efficiendum quo ad sanitatem exerceantur. Idem ad proportionem iniunget in aliquibus fabricae occasionibus, ubi cauto, ne cum saecularibus loquantur vel ne in locum extra clausuram egrediantur, per modicum temporis spatium lapides aut ligna comportare vel si-

(2) Sic in I ed., Neapoli, 1608, p. 156; in *Oper. omn.*, ed., 1771-1774, t. III, p. 247b, additur: « *et* ».

(1) *Instructio Novitiorum*, part. II, cap. 14, num. 4-9; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 182a-183b.

mile quippiam exercere poterunt. Iam vero crebro eis iniungit Magister ministeria alia quae frequentiora sunt, puta Ecclesiae pavimentum foribus clausis verrere, candelabra et alia sacristiae vasa mundare, ut caritas simul et sanitas corporis exercitatione augeatur. Cavebit autem ne iis in exercitiis lingua relaxetur vel aliud mali genus accidat. In silentio quippe operari Regulae nostrae sanctio est.

Caput IX.

De instructione Novitiorum quoad obsequia multa quotidiana

1. Det operam Magister ut obsequia familiaria quae in dormitorio, refectorio, culina et aliis officinis Novitii exercent, perfecte, munde ac expedite praestare discant. Quapropter acolythos, rigatores, fricatores et ministros alios erudiet, ut sine sordibus officia exsequantur. Acolythos instruet quemadmodum oleum infundere et a maculis accurate abstinere debeant: multa quippe indecora contingunt huius admonitionis neglectu, ut vestes, mensae, libri oleo perfusi demonstrant. Rigatores docebit quomodo sine motibus et discursibus incompositis aquam inspergere deceat: nonnulla enim parum decora festinatio et sollicitudo illa parit. Fricatores instruet qua ratione manicis replicatis linteoque praetenso succincti, culinae vasa extergere et a sordibus abstinere debeant, ut in loca sanctiora redeuntes non male oleant. Denique Magistri partes sunt Novitios omnes ad omne domesticum obsequium instruere et minuta quaeque patienter ac perseveranter inculcare, ut si, exempli gratia, videat refectorii seu mensae ministros aut eos qui domum everrunt, scapulari pendente opus illud exsequi, moneat se praecingant modumque cingendi doceat. Sic enim tuebitur decorem domus Dei.

Caput X.

De visitatione cellarum

1. Magistri est Novitiorum cellas saepe lustrare, ut videat sitne quid superfluum aut diminutum, sordidum aut incompositum quod ingredientium oculos possit offendere. Ubi multa caritatis et aliarum virtutum officia erga singulos poterit exercere. Monebit ut in cellis tamquam in oratoriis agant, nihilque indecens admittant, operimenta lecti componant, vasa tecta et munda sub lecto abscondant, tunicas exutas donec a ministro repetantur mundatas et complicatas sub lecto ita reponant, ut videri non possint. Quia vero ex incuria vel aliis ex rationibus fratres sine Magistri venia in cellis habere solent levia nonnulla quae rudes adhuc animos minime vexant, cum tenuia nondum aestimare noverint, praecipiet interdum fratribus universis ut si quae absque obedientiae concessu in cellis habeant, ea in recreationis locum conferant. Factoque quodam rerum acervo, imprecabitur illi malum ac res illas velut anathemata quaedam seponi ac in loco uno separato asservari iubebit, donec aliud statuatur. Ritus quippe hic (ut experientia multiplex docuit) energia pollet ad animos sine fastidio permovendos et obedientiae cultum perficiendum. Meminerit vero Magister loci ac temporis, ne scilicet ullam poenam inferat iis qui sponte res illas contulerunt. Satis enim actu illo exsecrationis in acervum rerum prohibitarum directae animi

in recreationis loco afficientur (1). Expletis vero diebus illius interdicti, res iam velut purgatas distribuet iis quos magis indigere perspexerit.

Caput XI.

De fidelitate Magistri erga Religionem in Novitiis probandis aut reprobandis

1. Postquam Magister Novitios sedulo ac perseveranter instruxerit, per dies octo, antequam de illis ad professionem admittendis agatur, Patribus in Capitulo conventus existentibus nuntiabit in subsequentis hebdomadae Capitulo de hoc illove Novitio agendum esse, ut rem praemeditentur Deoque commendent, praevioque consilio et oratione suffragia ferant. Quamvis vero Magister, iuxta morem nostrum, Patres ex uno in aliud Capitulum ter praemonere ac in designato Capitulo quid de Novitio sentiat, veracissime aperire debeat, quarto scilicet, octavo ac decimo Novitiatus mense, ultimae tamen propositionis et fidae relationis actum ab eo gravius et accuratius exerceri debere manifestum est. Tunc quippe res tota vertitur et summa rerum perspicuitas veritasque requiritur. Caveat ergo Magister ne ullo humaniore sensu aut malos probet, aut bonos improbet: gravissime quippe communi bono nocebit. Fides ei a ceteris Patribus habebitur, qui non valent Novitiorum ingenia moresque penitus nosse, cum illorum curam minime gerant; atque idcirco bonum aut malum ingens quod ex errore probationis aut reprobationis emerget, illi praesertim ascribetur, neque sane impune feret. Libere, sincere fideliterque rationes proferat quae ab omnibus Patribus capiantur, solamque Dei gloriam Religionisque bonum in re tam seria prae oculis habeat. Neque vereatur bonos post adhibitam diligentiam sedulamque culturam occasione fidae relationis, ubi aliquas eorum imperfectiones recensuerit expellendos aut non bonos admittendos, quamvis nonnulla eorum bona protulerit. Decet quippe divinam bonitatem malum adeo grave ex occasione boni officii minime permittere.

Caput XII.

De acclamationibus virtutum et anathematismis vitiorum

1. Quod in Capitulo duodecimo secundae partis, dum ageremus de mediis ad promovendam perfectionem opportunis, polliciti sumus in hoc penultimo capite, favente Deo, praestabimus ut Magister vel in oratorio, vel in recreationis loco, vel alibi ubi ei videbitur expedire, Novitios simul exhilaret et inflammet, atque ad producendos perfectissimos virtutum actus impellat. Ordinis ergo ratio habeatur ut, Magistro formales actus proferente, Novitii omnes summa acclamatione et cordium erectione respondeant.

2. Acclamationes.

Magister: Vivat Iesus Christus Dei Altissimi Filius.
Novitii: Vivat.
M. Regnet in aeternum dulcissimus Redemptor noster.
N. Regnet.
M. Laudetur suavissimum nomen Domini a solis ortu usque ad occasum (1).
N. Laudetur.
M. Genuflectant omnia corda caelestium, terrestrium et inferno-

(1) Sic in I ed. 1608, p. 162. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 248b, legitur: « *commoventur* » pro « *afficientur* ».

(1) *Ps.* 112. v. 3.

rum coram mitissimo Virginis Filio (2).

N. Genuflectant.

M. Vivat serenissima Regina caelorum.

N. Vivat.

M. Dominetur universis angelorum et hominum cordibus dulcissima Virgo Maria.

N. Dominetur.

M. Laudetur formosissima filia Sion usque ad fines orbis terrae.

N. Laudetur.

M. Ametur divina bonitas ab universis creaturis amore purissimo.

N. Ametur.

M. Convertantur universi homines ad fidem et caritatem Dei ac Domini nostri Iesu Christi.

N. Convertantur.

M. Vivat disciplina monastica Patrum nostrorum laboribus condita.

N. Vivat.

M. Vivat perfectissimus obedientiae cultus, etiamsi nos ea de causa mori oporteat.

N. Vivat.

M. Vivat purissima castitas etiam per agones ac sanguinis effusionem sub vexillo candidissimae Virginis Mariae.

N. Vivat.

M. Vivat paupertas apostolica pretiosior omnibus mundi divitiis.

N. Vivat.

M. Vivat suavissima virtus humilitatis, etiamsi omnem mundi despectum ferre oporteat.

N. Vivat.

M. Vivant ardentissima aeternorum bonorum desideria.

N. Vivant.

Utatur hoc acclamationum exemplo Magister et alias, si videatur, excogitet.

3. Anathematismi.

M. Maledicta sit Dei oblivio.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit ingratitudo.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit desperatio.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit monasticae disciplinae relaxatio.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit inobedientia.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit luxuria.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit proprietas paupertatis inimica.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit superbia.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit loquacitas.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit immodestia.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit protervia.

N. Maledicta.

M. Maledicta sit negligentia.

N. Maledicta.

4. Magister ad normam horum anathematismorum alios pro loci temporisque opportunitate adiicere poterit, prout ei videbitur expedire. Dabit autem operam ut modus acclamandi et anathematizandi sit fervidus, concors, efficax et ad pietatem acuendam plurimum valeat.

Caput XIII.

De Magistri adhortatione

1. Ecce, ope divina, campum late patentem sumus emensi, quem novellorum Dei militum Instructor multa dexteritate ac celeritate percurrere debet. Multiplex hic laudis,

(2) *Ad Philipp.*, c. II, v. 10.

multiplex occasio palmae laboribus et agonibus parandae. Gloriosum est sane animos in caelestia gaudia suspirantes et omnem mundi gloriam, divitias et voluptates aspernantes regere, et per militarem divinae caritatis viam ad monasticae perfectionis fastigium recta perducere. Regimen certe hoc et Deo acceptissimum, et Ecclesiae toti saluberrimum et rectori utilissimum est. Deo sane placet: quia genus quoddam pinguissimi holocausti divinae Maiestati immolatur, dum corda hominum qui animos corporaque cultui divino devoverunt, excoluntur, ut excusso vitiorum pondere, quasi pennis columbae deargentatae succrescentibus ad Iesu Christi dulcissimi Dei ac Redemptoris nostri amplexus festinent. Ecclesiae profecto toti salutem minime vulgarem affert: una quippe e nobilioribus Ecclesiae partibus candidatus religiosorum exercitus feliciter instructus ac divinis virtutibus armatus est. Educatori vero ipsi summopere prodest: non enim mediocria merita, sed eximia et plane ineffabilia functionis illius labore conquirit. Magister ergo qui haec omnia tot bonorum capita pensitare novit, purissimo intuitu Dei primum gloriam, Ecclesiae mox ac Religionis suae salutem exoptans, discipulos suos apostolico affectu erudiat, arguat, obsecret, increpet in omni patientia et doctrina (1). Non illum labor aut taedium ab hoc opere immensorum bonorum feracissimo deterreat vel retardet. Habet impositam tot ac tantorum nubem testium, qui in huiusmodi opere insigniter claruerunt, ut si rem attente consideret, calcaribus non indigeat. Poliat vivos lapides in excelsa suavissimae Ierusalem, quae aedificatur ut civitas (2), structura sessuros et amplissimo Regis Magni aedificio consensuros. Pondus est, at leve et momentaneum, si cum aeterno gloriae pondere comparetur. Ne timeat, quasi virium defectu, oneri succubiturus; quia clementissimus Deus, sub quo curvantur qui portant orbem (3) et cui flectitur omne genu (4), strenue conantem et in re honestissima laborantem fulciet, solabitur et illustrabit. Currat velociter: quia novissima hora est et orbis terrarum peccatorum diluvio mergitur. Instruat milites novos, qui adversus aquarum impetum pro se ac pro reliquis Ecclesiae filiis animose luctentur, et qui inculpatae vitae candore tenebras saeculi dispellant. Haec una potissimum cura visceribus eius impressa die nocteque permaneat, ut peracto culturae labore cumulatissima praemia quae non licet effari percipiat.

(1) *II ad Tim.*, c. IV, v. 2.
(2) *Ps.* 121, v. 3.
(3) *Iob.*, c. IX, v. 13.
(4) *Ad Rom.*, c. XIV, v. 11.

APPENDIX

De cura Magistri erga Professos

Caput I.

De cultu recenter professorum

1. Ad officium Magistri spectat recenter professos, quos per annum probationis rexit, excolere et ad ulterioris perfectionis cursum occasione professionis urgere. Infeliciter quippe causa Novitiorum ageretur, si statim ac professionem emitterent, a Magistri cultura recederent. Cum enim anno uno coeptam monasticae perfectionis fabricam ordinarie non absolvant, parum spei de perficienda evangelica turre superesset, si opus imperfectum novis conatibus (1) non eniterentur absolvere. Magister ergo discipulos suos recenter professos accuratissime custodiat et ad vota sollemnia observanda, ad officium divinum religiose admodum persolvendum, ad Regulae, Constitutionum, Instructionum caeremoniarumque observationem proposita et expensa professionis obligatione serio exhortetur. Caveat ne novi professi a studio disciplinae monasticae, quam per annum didicere, deferveant; neve aliquo licentiae genere relaxentur. Nihil enim eiusmodi professis peius officit quam quoddam licentiae genus una cum professione quasi lolium cum tritico subortum. In anno quippe probationis iudicii timore cohibiti nihil audebant, ne forte expellerentur; emissa vero professione, nonnulli parum mites ab status securitate licenter agendi ansam arripiunt, quasi ad altiorem perfectionem inde non aspirare deberent. In exhortationibus igitur, colloquiis privatis et occasionibus aliis cum professis, quamdiu ab eo coenobio non recedunt, aeque ac cum Novitiis aget, nihilque curae solitae remittet. Quin etiam praeter solitam curam suscipiet aliam zelo domus Dei plane dignam. Instante quippe necessitate, professi fratres vel foras uti socii Patrum ad varia negotia mittuntur; vel ad officia quae communicationem cum saecularibus requirunt, domi designantur. Quocirca nova instructione ac vigilantia proculdubio indigent, quae ad partes Magistri pertinet.

Caput II.

De instructione fratrum professorum qui foras mittuntur

1. Non est animus de iis fratribus professis agere qui cum aetate adulta sint, iustis de causis quas non possumus certis legibus comprehendere, statim a professione ad res graviores designantur. Hi quippe tamquam viri prudentes ac modesti, qui anno uno spatia multa confecerint et sine Religionis damno negotia cum saecularibus gerere valeant, in aliquo eventu raro non male ad haec onera destinantur; et ob rerum multitudinem ac varietatem a Magistri cura velut excepti ad proximam Superiorum curam traducuntur. Animus igitur

(1) Sic in I ed. 1608,p. 172. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 250b, desunt: « *novis conatibus* ».

est de iis fratribus professis scribere, qui uti socii aliorum vulgo foras mittuntur. Hos ergo Magister erudiet ac modestiae silentiique praesertim admonebit. Quod enim ad modestiam spectat, exploratum est eos arctissime obligari ad cohibendos oculos corpusque totum cum moderatione regendum. Nam praeter cultum virtutis, cui ad propriam perfectionem acquirendam studiosius vacare debent, ubi plures distractionis occasiones ingruunt, commune Religionis bonum eos iam professos extimulare debet, ne bonum nomen aliorum Religiosorum modestia partum obscurent. Quod vero ad silentium attinet, moneat Magister ut cum Patre quem comitantur, nisi interrogentur, verba prorsus non faciant aut parcissime faciant. Cum externis vero nihil prorsus loquantur sine Patris illius venia; quae ad necessaria dumtaxat verba, non ad linguam relaxandam concedenda est. Iam autem fratres foras prodeuntes, quod ad interiorem hominem attinet, monendi sunt ut Dei praesentiam vigilantius quam domi mente pertractent, neque novarum rerum curiositate se allici sinant. Experimento enim quotidiano patet animam rerum saecularium curiositate dissipatam difficulter admodum sese colligere et ad rerum caelestium meditationem reverti.

Caput III.

De instructione fratrum professorum qui ad officia designantur

1. Difficile est inter occasiones multiplices virtutis modum mediumve tenere. Si enim qui diu sancteque vixerunt, sibi ab occasione timent, quis non plane fateatur rem sane miram esse inter occasiones inculpate versari? Res certe perspicua est. Quapropter Magister novos professos praemuniet ad officia sancte gerenda. Monebit ut Instructiones officiorum exacte observent, et si quid ibi non decretum occurrat, ad ipsum perferant, ut modos perfecte agendi praescribat. Hortabitur ad perfectissimum modestiae ac silentii cultum, ne scilicet existiment quia ad officia praestanda et loqui et intueri necesse sit, omnem idcirco oculorum linguaeque licentiam sibi permitti. Pessime quippe agent, si absque Dei timore officiis ad eam laxitatem abutantur. Regula sit eos ministros sine peculiari Superioris venia cum nemine loqui posse, iis verbis exceptis quae ad expedienda negotia necessaria sunt. Moneat Magister ut nullum familiaritatis genus cum externis contrahant, sed se totos Deo et Superioribus servent. Quod certe obtinebunt, si Dei praesentiae immemores non sint et in (1) iis officiis Dei causam se agere perpendant. Exhortetur Magister ut comiter ac suaviter cum externis agant, omniaque illa sollicite vitent quibus animos exasperare possint. Quod sane praestabunt, si omnia tempestive expedire et personarum discrimen observare nitantur, quemadmodum fratres nostri Dei gratia consueverunt.

Caput IV.

De spirituali professorum instructione

1. Ita Magister professos fratres debet instruere, ut persuadeat quicquid intra probationis annum praestitere pro nihilo ducendum et a professionis die novam purioremque vitam inchoandam. Profecto Novitiatus simile quiddam est

(1) Sic. in I ed. Neapoli, 1608, p. 176. « *in* » deest in *Oper. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 251b.

declamationum exercitio quod seriis publicisque orationibus praemitti consuevit. Praeludia sunt, quae in anni prioris cursu fratres exercent; status vero professorum serium, grave grandeque opus est. Quocirca enitendum est ut quae Novitii praeluserunt, iam professi perficiant. Monendi ergo sunt fratres professi ut quemadmodum coeperunt vitam ex orationis et mortificationis studio contexere, ita prosequantur, caveantque ne quicquam eorum quae bono animo firmoque proposito exercuere, praetereant. Qua in re totius perfectionis monasticae vis consistit: cum perspectum sit bona coepta si ad finem vitae perseverent, tenaces observatores suos perfectos efficere. Instruendi sunt, ut non modo communis ac regularis vitae fidissimi observatores sint, verum etiam ut opera supererogationis quae sub Magistri disciplina praestare assueverunt, constantissime exsequantur. Hoc enim primum angelus satanae persuadet, ut supererogare desistant; moxque hoc praelio victos ad necessariam status observationem omittendam impellit. Magister vero seipsum his diabolicis conatibus opponat, et professos ad nova et maiora permoveat. Ita tamen illa temperet, ut credibile sit animos semel instructos in ea tenacitate permansuros. Inter alia vero monita unum erit: ut diebus singulis professionem renovent; alterum, ut praesentiae Dei studiosissimi sint adhibitis memoriae remediis; aliud, ut certo, puta septenario, mortificationum numero se in exiguis saltem rebus quotidie exerceant; aliud denique, ut ubicumque fuerint, cum Superiore tamquam cum Novitiorum Magistro versentur. Haec quippe quatuor monita ea sunt quae animos eorum memores ad monasticae perfectionis culmen facile perducant.

Caput V.

De instructione professorum qui e Novitiatu in alia coenobia migrant

1. Quamdiu recenter professi inter Novitios promiscue versantur et eodem prorsus modo ac illi reguntur, timendi causa non subest. Fervor quippe ille et conceptus aemulatione calor professos alit et promovet; at transitus ille ad alia coenobia, ubi exercitia Novitiorum desunt, non levis causa timoris est. Experientia nempe constat nonnullos professos qui montes aureos polliceri videbantur, loci mutatione animum quoque mutasse atque a concepto Spiritus Sancti calore deferbuisse. Magister ergo hoc malum grande praecavere cupiens, professos fratres pridie quam migrent aut alio tempore commodiore prout occasio tulerit, discessuros omnes simul aut singulos seorsim alloquatur et amantissime instruat. Suprema enim verba caritatis dulcedine delibuta altius imprimuntur.

2. Commendet impensissime quatuor illa monita proximo capite recensita; quibus nihil sanctius vel utilius eis tradere posse videtur. Sed quartum summa cum expensione commendet, obsecrans ut cum aliorum coenobiorum Superioribus eodem prorsus modo se gerant, ac si illi Magistri ipsique perenniter Novitii forent. Quod sane monitum totius disciplinae monasticae complexio est; sive de passionibus subiugandis, sive de parandis virtutibus, sive de tentationibus propulsandis, sive denique de rerum divinarum studio tuendo sermo fiat. Etsi vero quatuor illa monita ad perfectionem parandam opportuna simulque ad fidam diu-

turnamque observationem prudenti mediocritate temperata videantur, salubre tamen consilium erit novos professos peculiaribus insuper adiuvare consiliis, quae ipsi fortasse ex illis velut fontibus derivare nescirent. Moneat ergo Magister ut coërceant effrenem quemdam affectum alio migrandi, qui recenter professos infestare solet; ut scilicet nolint alio discedere, nisi quatenus Deo placuerit. Moneat ut de propria commoditate solliciti non sint, sed eo prorsus modo ac tempore quo abire iubentur, accepto breviario, apostolico more discedant, nisi aliter Superior decernat. Moneat ut viaticum non requirant, sed spem totam in divina bonitate collocantes eleemosynas emendicare constituant. Moneat ut per viam alacriter ac modeste, sine ulla contentionis imagine procedant instructionemque iter agentium ad unguem observent. Moneat ut statim ac pervenerint eo quo migrant, Superiori suo ita se totos humillime tradant, ac si eo die e saeculo in claustrum se abderent et inter Novitios recenseri inciperent. Moneat ut nihil novi nuntient ex iis quae alibi aguntur, nisi a Superiore interrogentur. Moneat ut scioli non sint, ea quae in coenobio fiunt, comparatione eorum quae didicere reprehendentes vel interpretantes, sed omnia simplicissime accipiant suique curam gerant. Moneat ut Superiori omnia sua vel obligationis vel supererogationis exercitia, sive ad orationis, sive ad mortificationis studium spectent, confestim aperiant et eius sententiae per omnia obtemperent. Moneat ut legum custodiae deditissimi sint et ad veram sanctitatem iugi Dei praesentia, obedientiae cultu et sui abnegatione festinent. Si vero aliquis e discedentibus peculiari Superioris cura indigeat, quod sit scrupulosus, aut fragilis, aut quovis alio tentationis genere vexetur, Magister ad Superiorem litteras dabit ac de statu rerum certiorem illum faciet curamque fratris illius impense commendabit (1). Quibus absolutis, filios suos carissimos amplectetur et precatus illis bona ex more dimittet.

Admonitio Magistri quoad exhortationes

Cum in tradendae doctrinae methodo pars magna fructuosae educationis Novitiorum posita sit, operae pretium visum est nonnulla diversarum exhortationum exempla subiicere, quae Magister possit imitari. Meminerit autem quae in tertia *Instructionis* parte praescripsimus; et in doctrina recte disponenda atque animis discipulorum instillanda plurimum operae ponat. Supervacanea recidat, qualia sunt eruditio multiplex, nimia conceptuum conglobatio, argumenta nimis subtilia et eiusmodi alia, quibus inutiliter aut certe noxie tempus insumitur. Sit doctrina gravis, utilis, sancta, casto sed simplici stylo prolata, spiritu Dei animata, ut illuminet, roboret, moveat et ad cursum perfectionis animos discipulorum inflammet. Sint exhortationes breves, efficaces, rationum nervis armatae. Hoc quippe modo a Novitiis capientur et intellectu illustrato atque convicto data consilia exercebuntur; quod utinam pro voto contingat.

(1) Sic in I ed., Neapoli, 1608, p. 181. « *commendent* » in *Oper. omn.*, ed. 1771-1774, t. III. p. 252b.

Exhortatio ad cultum obedientiae

Tantus (1) est, dilectissimi fratres, obedientiae decor, utilitas et honestas, ut si pro rei dignitate dicendum esset, oporteret me singulari luce illius qui cum esset Filius Dei, obedientiam didicit, illustrari linquamque meam ab eodem Filio Dei, qui linguas infantium facit disertas (1bis), erudiri. Immensa quippe virtutis huius dignitas, altitudo, latitudo et profunditas est, cum totius disciplinae monasticae et (quod mirabilius est) totius christianae perfectionis compendium sit. Quocirca illud in primis a vobis exposco, ut virtutem hanc nobilissimam pro dignitate aestimetis et universis mundi bonis anteponatis; quod ipsa vestrae renuntiationis ratio facile vobis persuadebit. Si enim recte perpendatis quid egeritis, cum saeculo renuntiastis statumque monasticum elegistis, perspicietis profecto nihil aliud vos egisse quam felici commutatione propriae voluntati proprioque iudicio vestro obedientiae cultum anteferre. Haec est caelestis vocatio vestra. Haec est divina inspiratio qua Iesus Christus dulcissimus Redemptor noster praevenit vos et in claustrum introduxit, ut velut in arca Noë in diluvio aquarum multarum quo voluntas propria in saeculo mergitur, a morte praeservemini. Si ergo hoc idem quod ego vobis persuadere cupio, a Deo vobis inspiratum et ultro a vobis quaesitum est, debetis certe excelsam obedientiae virtutem studiosissime colere et pro illius cultu ardua quaeque constantissime superare. Quod si a me requiratis quanam ratione tantae virtutis cultum, ut par est, exercere possitis, per capita respondebo; quae attente percipite.

Qui obedientiam colere serio cupit, omnino sibi persuadere debet se caecum esse, cum obedientia sit opus fidei; et eo modo se, dum obtemperat, gerere debet, quo se gerit, dum fidem exercet. Quemadmodum enim, dum credit, a Deo articulorum fidei rationem minime requirit, ita vir obediens a Praelato rationem mandati nullo modo expetere debet; sed certo credere quicquid praecipitur, caelesti sapientia plenum esse, quantumvis rationes contrariae vel a proprio iudicio, vel a spiritu maligno suggerantur. Atque in hoc saluberrimo documento maxima obedientiae pars posita (2) est, quod idcirco fratres carissimi, vestris visceribus imprimatur exopto. Certe Abraham nihil causatus est, quando iussit Deus ut unigenitum ac suavissimum filium suum immolaret, cum res et summe difficilis, et fortissimis rationibus adversa videretur; sed omnia vicit praeclarissimo obedientiae exemplo, quod monachi omnes divinae auctoritati cedentes debent semper intueri. Satis profecto est Deum esse qui per Praelatum loquitur, ut sine discussione ulla quicumque intellectus creaturarum seipsum multa divinae sapientiae aestimatione submittat. Hoc igitur efficite et intellectum in captivitatem omni mundi libertate meliorem redigentes, promptissima voluntate quicquid praescribitur, accipite. Si enim intellectus argumento fidei flexus et vo-

(1) Sic in I ed. 1608, p. 183. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 253a, legitur: « *tanto* » pro « *tantus* ».

(1bis) *Sap.*, c. X, v. 21.

(2) Sic in I ed. 1608, p. 185. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 253a, legitur: « *nostra* » pro « *posita* ».

luntas ab intellectu bene composito directa concurrant, amplissimas obedientiae victorias supra firmam petram fundati celebrabitis. Et hactenus quidem de affectu recte disponendo dixi. Iam vero si semel erga Praelatum intellectu ac voluntate bene affecti fueritis, reliquum est ut in obedientiae exsecutione alacres, prompti (2bis) ac fideles sitis; alacres, hilarem vultum ad omnia paratum exhibentes; prompti, nullam moram admittentes; fideles, sincere ad planissimum verborum sensum iniuncta obsequia praestantes. Quae si, ut moneo, a vobis fiant, eritis perfecti obedientiae cultores; et ergo clementissimo Deo nostro vestrae obedientiae sacrificium gratulabor. At res haec cum ardua sit, utpote quae proprii iudicii ac voluntatis abnegationem complectatur, fortasse sensus vester nuper ad scholam Iesu Christi vocatus difficultatem perhorrescet. Verum, dilectissimi fratres, ad grandia vocati et sempiterna mercede gavisuri, ne terreamini; quin potius adversus omnem arduitatem hisce rationibus erigimini.

Prima ratio. — Vos ipsi paulo ante in saeculo vel parentibus, vel dominis obtemperabatis; cur ergo nimis arduum videatur Iesu Christo amantissimo Deo, Patri ac Domino nostro per Superiorem loquenti obtemperare? Neque obstat, si dicatis: Nos in saeculo cernebamus parentes ac dominos a quibus exspectabamus bona; hic vero Iesum Christum minime cernimus, ac propterea eo solatio destitui videmur. Non, inquam, hoc obstat: quia videtis Superiores mites, in vestri curam incumbentes, qui maiora vobis bona quam domini ac parentes proculdubio praestant. Et quod ad Iesum Christum Salvatorem nostrum spectat, quid quaeritis? An intempestive illum praesentem hisce corporeis oculis cernere? Quid si ille dignaretur vobis apparere ac vobiscum versari? Rogo tunc: quanam de causa laeti obediretis? Respondebitis certe, si monastice respondere velitis: Tunc, Pater, alacriter obtemperaremus, quia certo cognosceremus res a Christo nobis iniungi. Verum ex hoc ipso capite vos ipsos ad obediendum Superioribus accingite. Certius enim vobis (3) est Deum vobis praecipere quae Superior eius vicesgerens iniungit, quam si Christus palam vobis appareret ac praeciperet. In ea quippe apparitione, quamvis vera foret, prudens quisque timeret ne forte falsa esset, iuxta communem sanctorum doctrinam, quae de visis discernendis tradi solet; at dum Superior loquitur, nemo nisi stultus aliquis ambigere potest an Deus per eum loquatur. Considerate nunc rationis huius pondus; et quibus oculis Superiorem intueri debeatis, animadvertite. Profecto iisdem oculis eum quibus Deum ipsum aspicere et per eum omnem consolationem, lucem, robur et bona cetera quae optatis, vos adepturos confidere debetis.

Secunda ratio. — Vos ipsi dum in saeculo ageretis, nostis plerosque homines infelices durissima servitute ad nutum obedire in rebus plane difficillimis et per ipsam sterilem obedientiam suam nihil solatii vel salutis acquirere, immo contentis itineribus ad incendium sempiternum festinare. Perpendite remiges ad triremes damnati seu

(2bis) Sic in I ed. 1608, p. 186. « *prompti* » deest in *Op. omn.*, ed 1771-1774, t. III, p. 253b.

(3) Sic in I ed. 1608, p. 187. « *vobis* » deest in *Op. omn.*, ed 1771-1774, t. III, p. 253b.

bello capti, dato signo, quam prompte, quam perseveranter suis magistris obtemperent. Interrogate mox quid boni tunc obediendo conquirant vel in futuro saeculo se paraturos sperent. Certe exploratum est illos praesenti refrigerio carere; genusque vitae quam vulgo ducunt, persuadet illos aeterna felicitate carituros. Cur ergo asperum videatur aut cur non suavissimum videatur vobis sic obedientiam exercere, ut per levia obsequia amanter vobis iniuncta et in praesenti gaudeatis bonae conscientiae testimonio et multiplici Dei solatio et post exactum mortalis vitae tempus coronas aeternas infinitae consolationis plenas accipiatis? Profecto nihil excusationis praetexere potestis, nisi forte aliquis vestrum amore proprio excaecatus dicat se non esse cum remigibus aut servis bello captis comparandum. Etenim qui hoc praetexit, caecus est. Si enim vel unius peccati mortalis in saeculo admissi conscientia pungat, consideret opus est se perpetuam non triremium, sed tartari servitutem commeruisse. Bene ergo cum eo agitur, si ad (4) obedientiae argumentum remiges ac mancipia proponantur.

Tertia ratio. — Omnes qui in causa salutis aeternae prudenter agere cupiunt, nihil impensius optant quam inter vitae mortalis varietates in portum recto cursu deduci. Oceanus enim quidam est vita praesens innumeris erroribus ac difficultatibus quasi incertis aquarum voluminibus obnoxia. Cum ergo perspectum sit virum obedientem, dum obtemperat, quicquid patiatur, quicquid fluctuet, rectum cursum tenere nec posse seduci, incredibile videtur aliquem salutis aeternae desiderio teneri et in tutissimum obedientiae cultum non diligenter incumbere. Quid ultra a me reposcitis, dilectissimi fratres, qui ad patriam per varios fluctus navigatis? In hoc verbo instaurantur omnia: *Obedite Praepositis vestris* (5). Veneramini illos, quia Dei personam gerunt; amate illos, quia bonum vestrum strenuissime procurant. Incumbite in opus obedientiae Deo acceptissimum vobisque saluberrimum. Incedite per sublimem tutamque viam, quam factus obediens a praesepio usque ad crucem (6) confecit Iesus Christus Dominus Noster, qui vos, precor, obedientiae suae consortes efficiat.

Exhortatio ad cultum paupertatis

De apostolicae paupertatis cultu dicturus, carissimi fratres, vellem ego Iesu Christi paupertatem praedicantis sensum et assequi et vobis imprimere. Res certe sublimis et a prudentia huius saeculi longe remota est; ac propterea minime mirandum si sapientes mundi lateat et parvulis revelata sit (7). In hoc praesertim capite Christi sententia a mundi opinione longissime discrepat. Mundus quippe divites beatos appellat; sed Dei Sapientia dicit (8): *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Ab hac ergo Redemptoris nostri sententia ducam ego sermonis initium, simulque vos monebo veritatem hanc a tanto praeceptore prolatam non modo firmissime credatis, verum et sentire conemini; ut scilicet alte per-

(4) Sic. in I ed. 1608, p. 189. «*ad*» deest in *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 254a.
(5) *Ad Hebr.*, c. XIII, v. 17.
(6) *Ad Philipp.*, c. II, v. 8.
(7) *Matth.*, c. XI, v. 25.
(8) *Matth.*, c. V, v. 3.

cipiatis verum proculdubio esse paupertatis cultores esse beatos; ac per hoc apostolicae paupertatis dignitatem et sublimitatem et ametis, et admiremini. Verum est certe per comtemptum divitiarum et commoditatum animum hominis christiani in quamdam altitudinem mentis extolli, quae caelo contigua videtur; ac experimento edicere paupertatem apostolicam genus quoddam beatitudinis esse futurae ac perfectae felicitati finitimum. Iam ergo, cum vos quemadmodum et ceteri homines in beatitudinem suspiretis, aequum erit ostensam beatitudinis viam diligatis atque sectemini. Neque ad rem hanc extrinsecus affixis argumentis indigebo, cum sitis (9) iam ex praevia Iesu Christi gratia et electione e numero illorum qui per os Petri dixerunt (10): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Certe ex quo, spreto saeculo, ad religionis montem ascendistis, reliquistis omnia, nisi forte aliquis Ananias (11) inter vos Spiritui Sancto ficta renuntiatione mentitus sit. Spero autem neminem adesse cui non placeat omnia reliquisse. Quocirca de affectu repurgando et proinde de perfectiore paupertatis cultura vos instruere pergam.

Pono in primis culturam hanc non in ipsa rerum temporalium privatione potissimum consistere. Nostis enim plurimos extra claustrum hoc maiorem quam vos victus, vestium reliquarumque rerum penuriam pati; cuiusmodi sunt qui laceri et aegroti ostiatim panem mendicant; quos tamen non recensemus in agmine illo selecto virorum fortium qui paupertatem Iesu Christi colunt. Necessitas quippe ibi urget; sed in christianae paupertatis cultu electio spiritusque laudatur. Quapropter si Christum ab infantia pauperem imitari serio cupitis, spiritum a vobis, hoc est, voluntatem affectumve requiro, ut scilicet oderitis opes et corporis commoditates et sanctorum inopiam omni auro pretiosiorem toto corde sectemini. Percipite quae hortor, dilectissimi fratres, et in sapientiam hanc mundo altiorem assurgite. Placeat vobis doctrina haec abscondita, quae cordis libertatem ac desideria caelestia sub laceris vestibus et mundi despectu creat; et modum illius exercendae in schola humilium ediscite. Ne probetis sententiam monachi apparenter spiritualis, qui nihil sibi deesse cupit et se pauperem ideo existimat quod superflua minime requirat. Profecto sententia haec Iesu Christi Dei ac Domini nostri sententiae parum congruit. Si enim necessaria suppetant, quomodo cultura paupertatis exercetur? Certe principes orbis terrarum hoc genus paupertatis colunt, si mediocriter pii sunt: nam superflua non coacervant, sed quae personis statuique superfluunt, in usus pios impendunt. Quamobrem mirum est apostolicos pauperes esse velle, qui superflua solummodo reiiciunt. Attendite quae dico. Ille verus paupertatis cultor est, qui necessaria sibi deesse non modo patienter fert, verum et cupit. Ille verus Christi pauper est, qui e rebus necessariis sibi oblatis viliores minusque commodas seligit. Ille serio paupertatem apostolicam diligit, qui occasiones captat, ut vic-

(9) Sic in I ed. 1608, p. 191. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 254[b] legitur: « *satis* » pro « *sitis* ».

(10) *Matth.*, c. XIX, v. 27.

(11) Cf. *Act.*, c. V, v. 1 sqq.

tus, vestes, lectus et alia quae inter necessaria recensentur, inopiam et derelictionem repraesentent. Atque haec ipsa ratio est ob quam veri mundi contemptores a Superioribus instanter efflagitant ut ea quae alii religiosi tamquam inutilia deponunt, ipsis ad usum tribuant; mirumque dictu est quam feliciter in claustris ea exercitatione proficiant. Haec est schola Iesu Christi crucifixi, qui non habuit ubi caput reclinaret (12). Haec est eruditio illorum qui gradiuntur par arctam viam quae ducit ad vitam (13). Haec est haereditas fortium qui regnum caelorum rapere omnibus mundi ponderibus exonerati festinant. Verumtamen, ut rem tantam qua decet animi alacritate aggrediamini, subiectas rationes aequa lance ponderate.

Prima ratio. — Quod ad res ipsas pertinet, omnes quotquot adestis reliquistis omnia; neque enim in claustrum quicquam intulistis quo uteremini, sed nudi nudum Christum sequi coepistis. Si ergo res non habetis quas Deo inspirante respuistis, quis non videat extremam dementiam esse depravato affectu res temporales voluntate repetere? Corpus quippe omnino caret iis rebus, et animus immoderate illas appetendo turpiter et inutiliter errat. Neque rationis huius vis ad ea bona temporalia quae in saeculo neglexistis, tantummodo pertinet; in ipso enim clausto per occasiones plurimas exercenda est. Solent enim stulti (14) monachi tantundem affectus in rebus plane vilissimis quas intra claustrum habere se posse confidunt, puta in breviario seu veste rudi collocare, quantum in amplo patrimonio in saeculo posuissent; quod sane incredibilis stultitiae genus est. Rationis ergo vis omnia resecat: nam neque ex iis quae in saeculo reliquistis, neque ex iis quae in claustro sunt, a veris Christi pauperibus quicquam optandum est: quandoquidem omnia primo renuntiationis sacrificio abdicata sunt, et nihil sub arbitrio vestro remansit quod optare vel usurpare possetis.

Secunda ratio. — Nemo ex vobis est, qui primae inspirationis calore concepto Iesu Christo ex toto corde servire non omnino constituerit. Cum ergo exploratum sit vos id propositum, ut par est, explere non posse, si affectum rebus temporalibus haerere sinatis, proculdubio eniti debetis ut cor neque rebus in saeculo relictis, neque iis quae status noster concedit, adhaereat. Perspicua certe mensurae ratio est: quia scilicet tantum amoris Deo adimitur, quantum in re quavis immodice collocatur, iuxta illud effatum Augustini (15): *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Considerate ergo quam sit infelix commutatio affectum, qui Deo totus affigi deberet, in veste, exempli gratia, vel libro, vel lecto, vel cibo defigere?

Tertia ratio. — *Tempus breve est: praeterit enim*, ut cernitis, *figura huius mundi* (16). In brevi vero temporis periodo longum iter conficiendum est. Propterea quippe Iesus Christus, pauperum exemplar, *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (17). Quomodo ergo nudum

(12) *Matth.*, c. VIII, v. 20; *Luc.*, c. IX, v. 58.

(13) *Matth.*, c. VII, v. 14.

(14) Sic. in I ed. 1608, p. 194. « *stulti* » deest in *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 255b.

(15) *Confessionum* lib. X, cap. 29, num. 40; Migne, P. L., t. 32, col. 796: *Minus enim te amat, qui...*

(16) I *Cor.*, c. VII, v. 29 et 31.

(17) *Ps.* 18, v. 6.

et currentem sequi poteritis vestiti et onerati? Pondus rationis huius ab exemplo tanto petitum innumeros imitatores egentes, angustiatos, afflictos ad scholam nostri Redemptoris perduxit, qui circuierunt orbem in melotis et pellibus caprinis, quique in solitudinibus errantes vel in montibus et speluncis atque cavernis terrae (18) omni solatio destituti latentes maluerunt omni mundi refrigerio carere quam cor rerum caducarum sollicitudine anxium a libertate filiorum Dei et studio aeternorum bonorum avertere. Et vos ergo, dilectissimi fratres, tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam austerae disciplinae quae magnam habet remunerationem, deponentes omne pondus rerum quibus animus praegravatur, currite ad opes aeternas et brevi exercitio apostolicae paupertatis immensa gaudia comparate. Ne sequamini vana consilia divitis (18bis) illius qui epulabatur quotidie splendide (19) et in terris thesauros suos recondebat. Sequimini potius consilium Lazari famelici et laceri ac ulceribus pleni (20) et per vias duras incommoditatum ac laborum, qui sunt dulcissimae paupertatis comites ,ad requiem in sinu Abrahae vobis paratam properate. Quod Iesu Christus Dominus (20bis) noster vobis, oro, concedat.

Exhortatio ad cultum humilitatis

Si linguis hominum loquar et angelorum, carissimi fratres, humilitatis altitudinem ac suavitatem quam Iesus Christus D. N. mitissimo magisterio docuit, non aequabo. Habet enim profunditatem quamdam caelestis virtus haec Filii Dei exemplo mirifice confirmata, qua omnis sapientia et omnis sanctorum eloquentia vincitur et velut in mari magno ac spatioso mergitur. Quocirca vellem ego ut, solo humilitatis nomine audito, divinum quiddam licet incognitum aestimaretis et pretiosissimi thesauri desiderio teneremini; quemadmodum purissimum aurum terrae visceribus occultatum sola rei fama permoti, non certe visum, sed auditum, filii huius saeculi ardentissime cupiunt et per discrimina multa terra marique perquirunt. Neque mirum vobis videatur, si hoc sermonis initio hanc humilitatis aestimationem sine argumentis requiram. Credo enim neminem inter vos esse, qui tantae virtutis praeconia non audierit vel expressa saltem Evangelii verba quibus Iesus Christus Sapientia nostra illam commendavit, non animadverterit. Necesse quippe est quod Dei Sapientia tam serio ac saepe praedicavit, magnum quiddam esse; ac ex eo ipso magni a vobis, quemadmodum a ceteris divinae sapientiae aestimatoribus, faciendum est. Quod si nosse cupitis qua ratione incognitam humilitatis magnitudinem maximi facere valeatis, memineritis quam sint quotidiana argumenta quae humiles animos maximi a Deo fieri persuadent. Ab hoc quippe effectu de re abscondita iudicium ferre valebitis. Profecto a saeculo non est auditum quod vir aliquis, quantumvis flagitiosus ac durus, se ex animo demitteret, quam clementissimus Deus non

(18) *Ad Hebr.*, c. XI, v. 37-38.

(18bis) Sic in I ed. 1608, p. 196. In *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 255b, legitur: « *diutius* » pro « *divitis* ».

(19) *Luc.*, c. XVI, v. 19.

(20) *Ib.*, v. 20 sqq.

(20bis) Sic in I ed. 1608, p. 197. « *Dominus* » deest in *Op. omn.*, ed. 1771-1774, t. III, p. 256a.

statim amaret. Sic servus ille nequam, statim ac procidit ad pedes regis (21); sic filius prodigus, statim ac demisso corde patrem appellavit (22); sic publicanus ille, statim ac demissis oculis se coepit accusare (23), inter dulcissimos Dei amicos admissi sunt. Quod proculdubio non ita contingeret, nisi ea esset humilitatis gratia, qua Dei cor evestigio caperetur et cuius sacrificio impense delectaretur. Quapropter divinis oraculis admonitus, carissimi fratres, omnium quae in saeculo commisistis, erratorum veniam et faustum novae vitae novaequae felicitatis exordium Christi nomine vobis ego polliceor, si inter mansuetos Filii Dei discipulos sublimissimam humilitatis virtutem omnibus regnis et honoribus anteponere ac de illa paranda serio cogitare incipiatis. Capite quae dico et multis desideriis me dicentem comitamini. Existimo enim animos vestros bene comparatos optare iam modum virtutis huius acquirendae cognoscere, sine quo desideria, quantumvis magna, evanescerent. Modum ergo hunc accipite.

Ex communi sanctorum doctrina scire debetis duo ad cultum humilitatis exercendum requiri: unum propriae fragilitatis cognitio, alterum recta voluntatis affectio est. Primum per frequentes propriae ignorantiae, vanitatis, inconstantiae et commissorum praesertim peccatorum meditationes cum praesenti Dei ope conquiritur. Debetis quippe ex iis capitibus quae hominem contemptibilem efficiunt, certo credere vos omni despectu plane dignos esse. Nam, ut cetera praeteream, qui vel unius peccati lethalis conscius est, scit profecto se aeterno contemptu dignum fuisse, neque certo scit an ab eo statu perpetuae infamiae obnoxio resurrexerit, praeterquam quod tametsi id certo sciret vel ex ipsa Dei clementia, vilia de se cogitare deberet, utpote cui aeterna infamia condonata fuisset; timereque deberet ne si altum saperet, in despectum sempiternum relabi sineretur. Atque ex huius rei meditatione veri monachi velut a supplicio et captivitate redempti se quasi servos emptitios reliquorum gerunt, et ceteros omnes quos meliores esse credunt, quasi dominos ac honore multo dignos nutibus, verbis et actibus venerantur; quae pars magna scholae Iesu Christi est, quam vos, fratres mei, cupidissime discite ac in dies singulos vestrarum culparum experientia in cognitionis propriae gymnasio proficite. Saepe quippe, si vigilanter agatis, experiemini vos ignaros, inertes, ignavos, inconstantes, infideles et tot culpis obligatos, ut facile perspiciatis vos ab aliis pro nihilo ducendos esse.

Iam vero ut ad secundum quod ad humilitatis cultum requiri asseruimus, accedamus, consideretis oportet non satis esse si quis se contemptu dignum cognoscat, nisi voluntate bene affecta se contemni omnino velit. Nam et latrones et homicidae se patibulo et infamia dignos proculdubio censent; at male torqueri ac despici diligentissime refugiunt. Quocirca illud a vobis exposco, si Iesu Christi schola placet, ut quemadmodum in cognitione propria, ita in seria voluntate patienter ferendi ac exquirendi contemptum plurimum operae collocetis. Diserte dixi patien-

(21) *Matth.*, c. XVIII, v. 26-27.
(22) *Luc.*, c. XV, v. 21 sqq.
(23) *Luc.*, c. XVIII, v. 13-14.

ter ferendi ac exquirendi : quia novelli milites, quales estis vos, gradus humilitatis internoscere debent. Laudabile est quippe servorum Christi exercitium, quo illatum, non vero quaesitum despectum patienter ferunt, licet initio certaminis non sine moestitia ferant; verum maior multo laus est non modo oblatas contemptus occasiones aequo animo tolerare, sed occasiones ipsas perquirere et a Superioribus postulare; ac denique summa laus est sive oblatis sive exquisitis occasionibus despectu gaudere, quod est signum animi plane fortissimi.

Ad hanc igitur gloriam, carissimi fratres mei, totis viribus aspirate, omne illud e quo existimatio vestri oriri possit accuratissime celantes, illud vero unde contemptus enascitur viriliter detegere parati. Estote fortes in bello et sicut cives Babylonis, hoc est, filii huius saeculi, a suis principibus primos honores ambiunt, ita vos a Superioribus vestris, iuxta Christi consilium, locum per omnia postremum requirite, ut nempe verbis et actibus vos tanquam vita indignos exerceant et ad humillima obsequia designent. At quia res difficultate non vacat, subiectas rationes quibus animum roboretis, expendite.

Prima ratio. — Novi ego vos omnes aeterni honoris et gloriae desiderio teneri. Scitis enim iis qui omnia reliquerunt et Christum secuti sunt, sedes honorificentissimas in regeneratione promissas, quarum desiderium vestris animis alte, ut opinor, insedit. Ea quippe promissio monachis claustra replet, deserta anachoretis, aequumque mihi videtur ut ad honorem tantum ab ipso Deo propositum studia et conatus vestros dirigatis. Agite; dirigite fortiter. Verum eius honoris viam (quam pauci norunt) attendite. Etenim si a Iesu Christo, cui comperta via est, sciscitemini qua via in sedes gloriae sit eundem, respondebit : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (24). Et mirum est sane cum Dei Sapientia tam diserte rem praedicaverit, homines, qui sunt honoris cupidissimi, ad honorem permansurum ostensa sibi via consequendum minime moveri. Sed quicquid alii sapiant, vos aeternae gloriae candidati hac via procedite et paucorum sapientum, qui eam percurrerunt, vestigiis insistite.

Secunda ratio. — Non modo honores aeternos hac via comparabitis, verum et praesentes eosque sane maximos. Experientia quippe constat eos qui mundi contemptum studiosissime inquirunt, versa vice ab universis hominibus absque ullis invidentiae vel malevolentiae stimulis honorari. Cuius certe experientiae ratio est : quia cum ab omnibus amentur, ab omnibus honore afficiuntur. Facile enim quisque honorat, quem amore prosequitur. Iam autem testatissimum est homines corde humiles ab omnibus amari : nam (praeterquam quod nullam aliis molestiam inferunt, immo quae aliis molesta sunt, sibi tanquam molestia (25) et contemptu dignis attribuunt, unde pax multa caritasque succrescit) habet cor humile vim quamdam humanae feritatis domitricem et dulcissimo quodam imperio omnium animis dominatur. Atque haec ipsa ratio est ob quam in monachorum claus-

(24) *Luc.*, c. XIV, v. 11 et c. XVIII, v. 14; Hetzenauer, p. 1026 et 1030 : *Et qui se...*

(25) Sic. in I ed. 1608, p. 203. « *molestis* » in *Op omn.* ed. 1771-1774, t. III, p. 257a.

tris religiosi humiles ab omnibus ardentissime amantur, et cum ipsis verba facere ac diutissime vitam agere universi desiderant. Patet ergo quotidiano experimento ad praesentis vitae honores parandos et animos conciliandos humilitatis cultum appositissimum esse.

Tertia ratio. — Animi studio humilitatis addicti una cum merito cumulatissimo futurae gloriae habent in praesenti intima et copiosissima gaudia omnibus mundi honoribus et regnis anteponenda. Novit hoc David, qui erat humillimus corde, quando exutus et iudicio mundi despectui habendus prae magnitudine laetitiae saltavit totis viribus coram Arca foederis Domini et iuravit fore se humilem in oculis suis (26). Novit hoc Franciscus vir pauper et modicus, cum quo Iesus Christus quasi luctabatur ut eum summae laetitiae sensu repleret, dum enitebatur ille se universorum hominum vilissimum publicare. Certe in re hac abscondita a mundi sapientibus ac de virtute propria praesumentibus, solis parvulis quasi testibus incorruptis credendum est. Et vos ergo, dilectissimi fratres, tot tantorumque bonorum desiderio incensi in suavissimae virtutis huius cultum incumbite et per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per medias contumelias et honores ad consortium humilium Iesu Christi Redemptoris nostri suspirate. Quod ipse, precor, vobis concedere dignetur.

Ecce tria exhortationum exempla, quae Magistro satis fore censemus, ut ad formam hanc ceteras ipse coaptet. Neque in hoc loco plura a nobis requirenda sunt; cum in *Instructione Novitiorum* (27) quam nuper edidimus, ita de singulis virtutibus ad claustri disciplinam spectantibus disertum sit, ut verbis paucis immutatis capita singula totidem exhortationes sint, quibus Magister non absque fructu uti possit. Secuimus quippe capita singula in partes tres, quarum prima virtutis cuiusque honestatem ac dignitatem ostendit, secunda illius parandae rationem per actus internos externosque praescribit, tertia rationes ad animos urgendos producit. Prima delectat, secunda docet, tertia movet; ac proinde quicquid ad rem hanc pertinere videtur, illic complexi sumus.

D. N. Iesu Christo ac Beatissimae Virgini Mariae laus sempiterna.

(26) *II Regum*, c. VI, v. 14-22.

(27) Part. II; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 150b-204b.

INSTRUCTIO MAGISTRI NOVITIORUM

Ven. P. N. Ioannis a Iesu M.ª

iuxta manuscriptum in Archivo N. Generali Romae asservatum

PRAEFATIO

Binae sunt praescriptiones, quibus Magister instrui debet ad Novitios educandos. Unae, quae cum discipulorum institutionibus permistae traduntur; alterae, quae seorsim ipsi credendae sunt, quas Instructione hac complexi sumus: in qua proprios Magistri actus in aliquot capita virtutum digestos recensemus. Ubi non tam de virtutum ipsarum natura quam de actibus quos illae proferunt, sermo fit. Huc enim omnis noster conatus incumbit, ut non tam scientia quam labor verae caritatis index commendetur.

Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. (Matthaei, XI) (1).

Caput I.

De humilitate et mansuetudine

1. Quibus oporteat clarere virtutibus eum qui aliorum praeceptor constituitur, Salvator noster diserte significavit, aiens (1): *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* ac si planius sic effatus fuisset: Idoneus praeceptor sum ut a me discatis; rationemque subtexuit dicens: *Quia mitis sum et humilis corde;* quibus profecto verbis et beatae vitae, et aeternae sapientiae scholam instituit.

2. Certo igitur sibi persuadeat Magister se de discipulorum cordibus nunquam victoriam relaturum (2), nisi cordis humilitatem ac mansuetudinem toto pectore hauserit, et externis actibus exhibuerit. Duo enim ad suam functionem perfecte exercendam praestare oportet: pascere videlicet tyrones verbo et solidare exemplo. Primum humilitate, secundum mansuetudine obtinebit.

3. Humilitate fiet sapiens; ea videlicet sapientia, quae latet prudentes ac sapientes huius saeculi filios. Omnino enim verum est, quantavis doctrina et ingenii perspicacitate quis polleat, non posse illum huius magisterii partes explere, nisi divino lumine fuerit illustratus. Illustrabitur autem, si humilis esse studuerit. Scriptum est enim (3): *Intellectum dat parvulis.*

4. Humilitatis autem inter discipulos ipsos actus nonnullos exercebit; vel aegrotantium cellas everrens, vel matulas et trullas eluens, vel obsoletas laceratasque fratrum vestes resarciens, vel denique nimium sordidos discipulorum pedes lavans aut alia eius generis obsequia interdum praestans; quae si alacriter fiant, ad animos vehementer ad pietatem erudiendos et inflammandos plurimum conferunt.

---

(1) v. 25-26.

(1) *Matth.*, c. XI, v. 29.

(2) In Ms. legitur: « *relaturus* » pro « *relaturum* ».

(3) *Ps.* 118, v. 130.

5. Mansuetudine vero fiet virtutum exemplar. Reddit enim illa hominem invictum: qui nec iniuria lacessitus, nec contumeliis affectus, nec improbitate negotiorum subinde interpellatus, a sua tranquillitate dimovetur, nec ullum perturbati animi vestigium in eo deprehenditur.

6. Hominis ergo caelestis imaginem exhibiturus Magister, mitis sit; et nullis discipulorum culpis irritatus, nullis improbitatibus victus, nulla eorum imbecillitate commotus, nullam ruditatem fastidiens, ita se gerat, ut nullus, quantumvis importunus et rudis, scrupulosus aut fragilis, eum adire identidem vereatur; sed vultu placido omnes die nocteque admittat; ita ut ipsi qui eum adeunt, hoc possint facile animadvertere. Hoc enim uno magis eis proderit, quam si multis aliis virtutibus esset insignis. Et facile hac via pro lapideis cordibus carnea corda reponet, ac sibi discipulos amore singulari devinciet.

Caput II.

De caritate

1. Etsi caritatis virtus una est, quae in Deum proximumque propter Deum tendit; et qua proportione Deum quis amat, eadem et proximum diligit; Instituti tamen nostri ratio poscit ut caritas hic qua in proximum fertur, expendatur. Et ut exemplo e potissimis uno pateat quam altas ea virtus in Magistro radices defixisse debeat, et quos actus eius vi obire oporteat, post clementissimum Salvatorem nostrum, Paulum Apostolum ob oculos sibi Magister proponat, cuius ardentissimam in recentis Ecclesiae filios caritatem saepissime cogitatione repetere ac pertractare non cesset.

2. Suo enim officio exactissime satisfaciet, si Apostoli actus ab ea virtute genitus imitari studuerit. Exhibuit quippe se uno praesertim caritatis officio erga novos Ecclesiae foetus, qualem in claustris se gerere debet Magister erga recens ingressos. Eo usque enim flagravit in filios quos in Christo genuerat, ut multiplici transformatione modo in patrem, modo in matrem, modo etiam in nutricem mutatus, singulorum personas induens, singulorum affectus subiens, omnibus omnia fieret, ut salvos faceret universos.

3. Hunc ergo magistrum educator novorum fratrum imitari et singulorum curam discipulorum [materno] (1) affectu gerere debet, [singula singulis attemperans, et non] animae tantum, verum [et corpori in necessitatibus prospiciens], non animo solum benevolus, sed insigni etiam verborum operumque ostensione beneficus, quemadmodum quoad affectus, verba et opera sigillatim mox tradetur.

4. Principio igitur cor in Deum intendens, amore purissimo prosequatur unumquemque, ita erga singulos bene affectus, ut ardenter admodum cupiat eorum salutem et eam a Domino quotidianis gemitibus flagitet.

5. Quod si propter culpas, teporem spiritus, ruditatem, imbecillitatem cordis vel eius generis causas sentiat amorem erga aliquem defervescere; multo conatu et orationis studio eam tentationem propulsare nitatur, memor Domini,

(1) Textus in hac editione inter [ ] positi, in Ms autographo, deterrimo ob humiditatem, iam non amplius prostant; eos tamen iuxta contextum, facta quoque comparatione cum textu impresso, restituimus.

qui Apostolos rudes, abiectos, multis culpis et passionibus etiam coram ipso caelesti Magistro obnoxios, nunquam fastidivit, sed suavissima caritate correxit.

6. E contrario si aliqua de causa, puta ob eximiam virtutem, sentiat se in aliquem propensiorem quam in alios, attente dispiciat ne amoris modum excedat, seque coërcere meminerit. Etsi enim is affectus ferri possit, cum ob eximiam sanctitatem generatur, nec exui possit quoties libet; ne tamen degeneret, ut cum spiritu coeperit, carne consummetur, compescendus est.

7. Quandiu autem flagrat (et universim quovis tempore et loco ubi ab aliis deprehendi potest) cavere debet, ne singulari verborum et operis ostensione alicui blandiatur. Nocebit enim vehementer aliis, si rem hanc minus accurate perpenderit. Dum enim uni coram aliis eiusdem beneficii avidis beneficium confertur, aegre alii ferunt eo se privari et unicuivis posthaberi.

8. Quod ad sermonem attinet, sive privatis in colloquiis, sive communibus exhortationibus, sive etiam culparum correptionibus, studere debet verba melle caritatis imbuere et spiritu lenitatis temperare sermonem. Certoque sibi persuadeat verborum asperitatem, nedum contumeliosas increpationes, spirituali profectui viam praecludere.

9. Aut enim eiusmodi verba corde summisso audiuntur, aut secus. Si secus, exploratum est inde magis obdurari cor et correptorem odisse. Si patienter audiuntur, ut plurimum, timor non filialis, sed violentus, quia extrinsecus illatus, generatur. Omnino autem compertum est ad perfectam caritatem eo timore corda non demulceri: *perfecta* quippe *caritas foras mittit timorem* (2).

10. Si autem lenis sermo sit, ita ut caritas eum proferre, non ira seu passio alia praeceps eiaculari videatur, sensim illabitur in cor et illud emollit. Ipsa enim natura asperiora verba quasi iacula, ne vulneretur, elidit; mollia vero quasi lenia quaedam fomenta libenter excipit.

11. Propter quod et Dominus ipse suavissimis instructionibus potius quam increpationibus rudes adhuc discipulos erudiebat. Cuius in schola Paulus eruditus methodum tradit delinquentes corripiendi, aiens (3): *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Non inquit: arguite, corripite vel aliquid eiusmodi; sed *instruite;* nec inquit: vos instruite; sed *vos, qui spirituales estis, instruite;* ac si apertius docuisset non esse virorum spiritualium, hoc est, eorum qui a Spiritu Sancto ducuntur, invehi vel commoveri contra delinquentes, sed potius verborum et actuum lenitate illos non tam carpere quam ad salutem instruere.

12. Iam vero, si in culparum correptione, ubi culpae id videntur exposcere, oportet adhuc lenire sermonem; minime dubium erit in exhortationibus ad virtutem non esse miscenda acria verba; ex eo, inquam, verborum genere quibus violenter nonnulli ad christianam perfectionem satagunt cor impellere, non ducere.

13. Nimirum verba exhortatoria suavissima esse debent et Spiritus Sancti unctione delibuta. Nihil ibi

(2) I *Ioan.*, c. IV, v. 18.

(3) *Ad Galat.*, c. VI, v. 1.

debet magisterium vel auctoritatem dicentis redolere. Quin potius ipse Magister se velut e discipulis unum reputans, ipsis verbis debet parem se illis innuere; ut non quasi iam perfectionem assecutus, sed quasi in eodem agone contendens, et suavius et efficacius eos ad bravium caeleste permulceat (4).

14. Quod vero ad opera spectat, singulari amoris significatione non solum in spiritualibus quae principem locum obtinent, sed etiam in corporalibus necessitatibus discipulis adsit, sive aegrotent, sive valeant. Et nonnullas quotidianae exercitationis intermissiones, cum eos refectione, somno vel aliis commoditatibus indigere deprehendit, indulgeat. Quin etiam et tempus antevertat, et ad aliquas eiusmodi intermissiones non usque adeo necessarias accipiendas quasi cogat.

15. Vix enim dici potest quantam vim eiusmodi patris in filios indulgentia habeat ad cursum perfectionis incitandum. Adolescentes quippe quos austeritatis metus a claustro retardabat, quique externa haec corporis incommoda formidabant (nam internas luctas non didicerant), cum animadvertunt Magistrum non ad eos aerumnis conficiendos, sed potius recreandos esse pronum, carnis curam in eum coniiciunt quem benignum experiuntur, et liberius se spiritualibus tradunt exercitiis. Contra vero si in eo genere Magistrum rigidiorem offendunt, non modo non celerius currunt, verum prae anxietate resiliunt.

16. Denique Magister navet operam ut non modo iis praescriptionibus quae de affectibus, verbis ac operibus traditae sunt, sed et quibusvis aliis modis quos ei Domini Spiritus suggesserit, corda discipulorum capiat. Ipsa autem caritas docebit illum et impellet ut plurima eis impendat obsequia, quibus ametur.

17. In eum vero scopum Magister studium capiendi corda discipulorum directurus est, ut illi sine ulla ambiguitate aut timore omnes suos affectus, motus, passiones,tentationes ac denique bona et mala universa quibus quoquomodo afficiuntur, ei detegant.

18. Non enim medebitur illis, nisi affectus omnes illorum perspectos habeat. Quae sane praeceptio una est e potissimis quae ad spiritualem profectum observari debent; quemadmodum imposturae daemonis ad celanda saltem bona fratres novos inducentis saepe docuerunt. Ac ob id Magister artificiose illos debet allicere, ne quid unquam erubescant aperire. Et ut noxium eis pudorem adimat, primos interdum imperfectionum motus, quos patitur, illis prudenter deteget; ut ii non eum Magistrum se habere credant, qui, non possit compati infirmitatibus eorum.

Caput III.

De zelo

1. Est insigne discrimen quo zelus Dei a zelo corporeae pulchritudinis (quam zelotypiam dicimus) separetur. Zelotypia quippe consortes, Dei zelus exortes ferre non valet.

2. Hoc ergo zelo Magister, ardentissimae caritatis igne succensus, aestuare debet; ut videlicet, vix ferre valeat aliquem ex iis quorum gerit curam, esse christianae perfectionis exortem; et eo totus incumbat ut omnes ii certatim cur-

(4) I *Ad Cor.*, c. IX, v. 24-25.

sum perfectionis certis legibus et ritibus definitum constanti aemulatione conficiant.

3. Quia vero ex hoc zelo multa Magister effecturus est in culparum correptione ac legum observatione, in quibus eum oportet labe carere, sibi omnino persuadeat potissimum eius zeli fructum propriam esse iustitiam, nec zelum esse, sed audaciam profectus alieni satagentem alios impellere dum ipse lente procedit.

4. Sit ergo ipse inculpata integritate conspicuus suae professionis observator, et in Regulae, Constitutionum, rituumque custodia sit maxime sedulus. Et cum alios moniturus est, prius seipsum introspiciat si forte bono ad quod alios hortari cupit, ipse careat, vel malo laboret a quo alios cogitat dehortari; ne cum aliis praedicaverit, ipse reprobus fiat (1).

5. Postquam ergo zelo Dei Magister seipsum excusserit, ad discipulorum profectum serio admodum eum zelum exercebit. Primum per culparum correptionem; mox per exhortationem ad virtutes; deinde per adhortationem ad Instituti ac legum propriarum amorem et observationem.

6. Quod attinet ad zelum quo culpae redargui debent, necesse est duo expendere; radicem videlicet ac naturam culparum. Radices sunt pravae consuetudines anteactae vitae ac passiones indomitae, in quas debet Magister falcem mittere; quandiu enim non exsecantur, culpas germinabunt.

7. In natura culparum ex obiecto gravitatem metimur et ex lege in quam peccatur. Gravior enim est culpa divinae legis, quam Regulae, Regulae quam Constitutionum, Constitutionum quam caeremoniarum transgressio.

8. Erga culpas igitur universas attente dispiciat Magister radicem et voluntatem cum natura culparum. Radicem quidem, ut in correptionibus semper ad eam extirpandam sermonem intendat et discipulos ad eam internoscendam erudiat; voluntatem vero cum natura culparum, ut nec tam acriter corripiat quam exigit natura culpae, si parum voluntaria fuerit; nec tam suaviter, si voluntatis malitia nimium excreverit. Solet enim daemonis instigatione voluntas vim tantam ad ridiculas res quas in saeculo neglexisset, conferre, quantam in divitiis vel honore mundi defixisset.

9. Pingat igitur Magister in exhortationibus culparum turpitudinem tam exacte, ut eas discipuli vel pictas oderint. Doceatque vel in minima culpa plus inesse deformitatis et mali quam in universis cruciatibus inferni. Moneat culpas etiam minimas incipientibus esse perniciosas, tametsi non ita nocerent adultis. Modica enim laesio tenellam plantam arefacit, quae non laedit adultam.

10. Observet accuratissime ne cum sentit se intrinsecus perturbari, corripiat aliquem. Sed proroget correptionem in tempus animi sedati; nisi cum ex officii obligatione cogitur statim corripere. Vix enim unquam perturbatum cor saluti profuit proximorum. Et quamvis interdum oporteat acriter corripere quos non vincit amor, ita tamen se gerat ut pateat non eum contra personam, sed contra culpam excandescere.

11. Quia vero, ut paulo ante meminimus, quandiu radices non ex-

(1) I *Ad Cor.*, c. IX, v. 27.

tirpantur, noxiam silvam producunt, vigilanter admodum enixurus est ut proprio discipulorum studio suoque ductu et hortatu passiones domet universas.

12. Armabit unumquemque iis meditationibus et exercitiis, per quae molestiores passiones edomentur. Nisi enim hinc incipiat, incassum culpas inde erumpentes corripiens, defatigabitur; et ut hoc modo apposite unicuique medeatur, suadebit magnopere ut sincere quivis seorsim aperiat quibus potissimum passionibus infestetur.

13. Ut autem de passionibus discipulorum victoriam referat, animadvertat [Magister] in sola propria voluntate superanda vim [omnem esse collocandam]. Mox enim ut haec reci[ditur quae passionum dulcedine] delectabatur, ipsae passiones intereunt; aut certe, si voluntati iam rectae adhuc obluctantur, non culpa, sed palaestra est et multiplicis occasio meriti. Nihil enim detrimenti patiebatur Apostolus, quod membrorum legem sentiret legi mentis repugnantem (2); sed potius inde immensa lucra gratiae comparabat propter victoriam quam de propria voluntate pepererat.

14. Sic vero Mag[ister erga] teneros animos fratrum se geret, ut non continuo velit [propriae] illorum voluntati in rebus difficilioribus vim in[ferre. Carent enim] viribus ad eiusmodi grandes victorias. [Sed exordiatur a] levioribus, et cui placere cernit crucem, cellam, [pallium] vel eius generis alia, ea interdicat; ut quae sibi [placent,] discipuli nolle condiscant, et pedetentim ad graviora ferenda [se com]parent: uberrimus enim fructus huius exercitationis est et [brevi] admodum hac via christiana perfectio comparatur.

15. At passionibus vim inferre non valet, qui studio virtutum non assuescit ut inde vim ad luctam concipiat. Simul quippe enervatur caro et spiritus roboratur; simul extruduntur passiones et virtutes inducuntur. Quemadmodum enim simul emarcuit nervus in femore Iacob et ille praevaluit in Deum, et claudus corpore validior et agilior spiritu simul evasit (3); sic dum subiugatur sensus, passionibus interemptis, virtutum viribus simul anima inalescit.

16. Docebit ergo Magister methodum parandi virtutes, hortans ad actus virtutum externos non ex arida consuetudine aut necessitate, sed sponte ex internis virtutibus [produ]cendos. Non enim Deus tam delectatur [iis externis actibus] quam affectu; quem adipem et pinguedinem [....].

17. Quo autem perfectio vel (ut [theologi] aiunt) forma virtutum omnium, (sine qua illae intereunt) discipulorum animos primum possideat et quosvis actus secuturos afficiat, opportune ac importune Magister hortetur discipulos, ut suos actus omnes affectu caritatis informent. Nam praeterquam quod meritum inde mirifice augetur, dum caritas peculiari unione singulis aliarum virtutum acti[bus socia]tur; fit etiam iugum Domini multo levius et suavius. [In nullis] enim actionibus tanta quanta in amoris [actibus voluptas percipitur; nec] ullo affectu alio auste[rioris vitae] disciplina aeque lenitur.

18. Iam vero extirpatis [herbis no]xiis, salubribus serendis Magister intente, dum pellit [culpas et virtutes] inducit, meminerit se

(2) *Ad Rom.*, c. VII, v. 23.

(3) *Gen.*, c. XXXII, v. 25 sqq.

discipulos inst[ruere] ad unam unius Religionis disciplinam, ad cuius observationem institui debent. Ac propterea det operam ut propensiores fiant ad Regulae, Constitutionum caeremoniarumque propriarum exactissimam observationem, crebro inculcans placere quidem Deo universa virtutum opera, non tamen singulis omnia promiscue congruere, sed ordine divinae sapientiae coetus religiosorum esse discretos et instinctu diverso corda hominum ad haec vel illa claustra vocari. Ubi arreptum semel peculiarem vitae monasticae professionem, non licet alienis permiscere doctrinis.

19. Quapropter doceat singulos Religionis actus et ritus tam rigide a veris professoribus observari debere, quam si praecepta essent quae culpae mortalis reatu transgressores innecterent. Cuius certe observationis ratio est: quia per singulas etiam levissimas caeremonias expressa voluntas Dei innotescit; quam nisi fratres iuniores magni faciant, statui religionis probantur inepti. Perfectio enim status religiosi in verae obedientiae perfectione reposita, sine divinae voluntatis intuitu et aestimatione insigni constare non potest.

20. Ut autem Regulae sensum, quem amplexuri sunt, discipuli addiscant, eam Magister exponet ac memoriae mandari praecipiet. Ritus etiam omnes docebit, ut ante anni lapsum norint quae sunt professuri. Instituti praeterea nostri rationem ac finem explicabit; et sensim pulsabit animos ut illud non vulgari amore prosequantur. Oportet enim discipulis patefieri rationem Instituti et eam illis summopere [placere; cum illius de-] beant esse tenacissimi. Nemo autem tenax diu erit eius Instituti quod non affectat.

21. *Instructionem* etiam *Novitiorum*, quae omnia rectae educationis praecepta statui nostro attemperata complectitur, ad unguem Magister observet ac observari curet. Et ut omnia quae in hoc capite traduntur, rectius exsequatur et fructuosius, nunquam (quoad poterit) a discipulis absit. Haec enim nativa est zeli proprietas, semper cum iis versari quos amat, ne forte alienentur. Et in hunc modum zelo Dei perfecte satisfaciet.

Caput IV.

De prudentia

1. Parum certe prodesset ad idoneam Novitiorum educationem virtutes quibus indiget Magister, expressisse; nisi modus earundem virtutum traderetur; ne quid nimis. Est autem unius prudentiae modum virtutibus imponere, ne extra definitum rationis iter divertant. Et quidem cum zelus et eius origo caritas, cum humilitas et mansuetudo commendatae impense fuerint; non raro posset evenire ut Magister vel humilitate ac mansuetudine nimium se demitteret, unde sperneretur; vel caritate nimium propitius fieret, unde oriretur vitae licentia; vel demum zelo nimis flagraret, unde discipuli eius vim formidantes resilirent.

2. Studeat ergo Magister et sanctorum prudentiam aemulari, et scripta pervolvere; et, quod summum est, perenni oratione illam postulare. Discretionem spirituum prudentiae infusae affinem ad functionem hanc spe grandi deposcat; sine peculiari quippe Dei dono Magisterium hoc perfecte non valebit exercere.

3. Postulandi vero caeleste donum causa iusta subest. Tota enim Re[ligionis salus ex idonea pen]det Novitiorum educatione. Qua enim primo imbuuntur, diu adolescentes doctrinam conservabunt; quae si salubris sit, Religio firmiter aedificata vigebit; si noxia, cito funditus evertetur; quod experimentis nimium frequentibus patet.

4. Ut autem partem aliquam eius prudentiae quae illi necessaria est, in promptu habeat, subiectas praeceptiones a virorum spiritualium observationibus excerptas Magister expendat.

5. Perpendat attente quo spiritu quisque discipulorum a Deo ducatur, ne forte illum inopinus extinguat. Spiritum autem hic apellamus affectum quo uniuscuiusque cor a Deo ducitur; quo maiori ex parte quisque se percipit emolliri, compungi, ad virtutes acui, ad propulsandas daemonis insidias praemuniri.

6. Hunc primum internoscere opus est. Deinde vero ita eum alere, ut anima inde non dimoveatur violenter, sed sinatur ea via procedere quam Deus ostendit. Quod allato exemplo fiet manifestius. Etenim si quis animadvertit se consideratis inferni cruciatibus, mortis amaritudine, iudicii extremi districtione ac aliis eius generis minime ad virtutum studia incitari aut certe parum urgeri, et una solius gloriae meditatione incendi; non expedit ab ea meditatione animam renitentem divellere, quam singulari eo cibo nutrire et ad pietatis officia permovere Deo placuit.

7. Idem prorsus inter alia obiecta nobiliora delectus habendus est. Si enim quis infantiae Christi cogitatione pascitur et non ita passionis, sinendus est ibi erudiri ubi Deus ei gymnasium aedificavit. Denique si inter Christi passiones sola (exempli gratia) crucis gestatio animam permovet, ibi perseverare sinatur. Quod enim instinctu Dei agatur, ex eo patet quod inde et non aliunde vires hauriat.

8. Quod si quis nec in certa una unius rei cogitatione persistere valeat et iaculatoriis orationibus sentiat se efficacius impelli, sinat eum illas frequentare; nec uni meditationi diu cogat insistere, ne anima illa coactione exacerbetur.

9. Verum est tamen in praedicto multiplici spiritus ductu posse latere dolos, dum anima perceptione suavitatis, quam elicit ex obiecto uno, cetera fastidit; et ibi torpescens, mortificationis opera et labores formidans, aegre fert inde divelli. Propterea opus est et hos ipsos affectus explorare, et ad experimentum animam inde, licet violenter, interdum avertere, ut, veritate perspecta, vel dolus detegatur, vel securius anima suum pastum resumere sinatur.

10. Verum ad haec prudentius disponenda opus est cuiusque ingenium percallere; si intellectu polleat, si facile amet aut oderit, si in formandis rerum imaginibus vehemens sit aut remissior, quae sit constitutio corporis, sanitas, vires, indoles et eiusmodi alia, quae in hoc genere a peritis traduntur; ut perspecta sit uniuscuiusque natura Magistro; et eam perficere iis ad quae disposita videtur, curet; sitque verus minister Dei, cuius multiformis gratia (iuxta commune proverbium) non destruit, sed perficit naturam.

11. Ex hac autem naturae per gratiam stabiliendae inspectione decernendum est qua mensura cuique sint iniungenda contemplativae vel activae vitae exercitia. Ci-

tius enim quosdam modica contemplativae et maior activae exercitatio provehit ad perfectionem; quosdam e contrario contemplatio perficit; et actio, nisi modice admista, retardat. Quo tamen discrimine non includimus communes religionis actus; quos ab omnibus exerceri ad unguem necesse est, cuiuscumque generis illi sint.

12. Ipsa etiam corporis constitutio aliam docuit observationem. Sunt quippe nonnulli adeo infirma phantasia et fugaci memoria ut nullam figuram effingere, et in nulla propemodum cogitatione persistere valeant. Et videntur operam perdere, quia quidquid conantur mente concipere, dissipatur statim et evanescit. Unumque superest remedium cogitationes sistendi, carptim scilicet legere et per intervalla cogitare quoadusque fervor inde natus elangueat, lectionemque resumant. Ii pariter sinendi sunt qua via ducuntur, insistere; non enim via parum fructuosa et ad affectus acuendos efficax est.

13. E contrario sunt aliqui qui adeo vehementer quidquid libet imaginatione figurant, ut sibi paulominus quae cogitant, cernere videantur. Hi coërcendi sunt interciso discursu vel modo alio excogitato; quia daemonis imposturis facile seducentur, nisi discant vim phantasiae ratione temperare.

14. Alii capite parum firmo a natura sunt, qui si prolixe orationi vacent, succumbunt oneri et in nimiam imbecillitatem vel etiam in amentiam facile incidunt; qui tamen breviori tempore sine nocumento orare valent.

15. Demum in hoc genere adolescentium aetas modum solet excedere, vim corporis intendens; ac si illata vi fructus orationis a Deo extorquendus esset; unde capitis laesio, ventriculi imbecillitas et sanguinis excreatio dimanant, et sub initium cursus enervantur. Qui si de his, duce prudentia, monerentur, sine defectione in orationis studio perseverarent. Temperanda sunt omnia, ne medium virtutis excedant; precesque singillatim, ad quas novi fratres ex propria devotione aut daemonis illusione propensiores quam ad omnes actus Congregationis esse solent. Iis enim gravantur ne rerum internarum studio accurate vacent. Quapropter praeter officium divinum, beatissimae Virginis coronam, sanctorumque tutelarium commemorationes, et solitas precationes ad indulgentias lucrandas, Magister ne permittat fratres eiusmodi oneribus premi; nisi gravis causa prius expensa peculiare quippiam alicui permitti debere suadeat.

16. Quemadmodum autem in iis quae ad spiritum, ita etiam in iis quae ad corpus non laedendum spectant, Magistrum oportet esse prudentem; ne videlicet nimis oneret imbecilles, sed cuiusque viribus laborem attemperet tam in aliis quam in subiectis experimentis.

17. Experturus est enim discipulos, imponens eis ad tempus aliqua coenobii ministeria ubi cum saecularibus non sit commercium, ut exploret an in iis occasionibus obedientiae, humilitatis, silentii ceterarumque virtutum sint tenaces. An passiones effrenes prodant; an mentem ab iugi in Deum intentione relaxent; et eiusmodi alia; quae (si annum integrum nullis occasionibus incitati latere in cellis sinerentur) celare et ovina pelle lupos contegere possent.

18. Quin etiam interdum expediet, re mature perpensa, aliquos prudentiores Patres immittere ut

discipulos tentent ad aliquid praeter ordinem agendum; ut pateat qua cordis constantia sint, an succumbant, an praevaleant.

19. Denique ad rem erit per se interdumque (re mature discussa) per alios eos ira simulata aliquibus improperiis exagitare, vestibus obsoletis et laceratis induere, verberibus aliisque coenobiticae mortificationis instrumentis et actibus exercere, ut neglectui propter Christum haberi crucemque gestare sensim addiscant.

20 Praecipere poterit aliqua seu vere seu in speciem rationi contraria, ad fidei experimentum.

21. Simulabit interdum oblivionem, ad patientiae, humilitatis experimentum; puta velut oblitus prostratos relinquens quos redarguit.

22. Aliqua falsa verbis amphibologicis eis imponet, puta esum vel potum diebus ieiunii Regulae, vel sermonem tempore nocturni silentii, ac eos ob id obiurgabit, ut humilitatis virtutem addiscant.

23. Quibus in rebus observet mores cuiusque; nec magnifaciat quorundam apparentem humilitatem. Qui sane eiusmodi neglectus non detrectant quod naturam degenerem sortiti sint. Constat enim vilitatem hanc longe a vera humilitate distare. Sed pro magno ducat contemptum sensu vehementer renitente generose subire, et arduitatem hanc perenni lucta superare, ne scilicet pro veris virtutibus falsas daemon obtrudat.

24. Haec autem omnia experimenta ita debent illis attemperari, ut et breviora, et intercalata sint, ne forte opprimantur. In quibus exploret Magister an aliquid detegant aut futurum portendant quod Religioni possit officere; fideliterque de iis patres moneat; quod exemplo subiecto rectius animadvertet.

25. Etenim si nosset alicui e discipulis vitium aliquod grave, sive naturale, sive ex consuetudine, sive ex fragilitate, quavis de causa altius et firmius impressum fuisse, deberet eniti ut is recederet vel a patribus expelleretur, nisi tantus in eo divinae gratiae cerneretur vigor quod (accedente mediocri Magistri sedulitate) vitium extirpandum crederetur. Pauci quippe eiusmodi sui victoria ita potiuntur, ut in claustris non potius officiant quam proficiant, tametsi vocationis calore primum concepto bene affecti videantur.

26. Inter discipulos vero si quis aetate provectus indutus sit, eum praesertim exploret. Difficile enim creditu est homines aetate maiores tandiu in saeculo immoratos non contraxisse plures labes quam adolescentes, aut certe si pauciores, altius saltem non defixisse radices, unde claustro minus apti sint. Quin vero et huiusmodi homines plerumque variis dolis armati uno saltem anno sanctitatem ac simplicitatem assimulant; et semel professi insigne damnum aliis inferunt pacemque de medio tollunt. Immo et ipso suae probationis anno clam ipso Magistro animos simpliciorum avertunt; et aliena dogmata, quibus prius imbuti sunt, Religionis disciplinae opponere tentant. Quapropter sagacem oportet esse Magistrum et vigilem.

27. Sunt etiam nonnulli inter Novitios doctrina praediti, qui, oblata vel quaesita occasione, illam, etiam coram ipso Magistro, solent ostentare; quos ob id simpliciores alii demirantur. Hos Magister non solum imperio coërcebit; sed, si doctrina pollet, ratione convincet; et quantumvis magnam eruditio-

nem huc conferet, universimque doctrinam qua praestare debet, propalare non verebitur; tametsi motibus vanae gloriae agitetur; quos sicut et alias tentationes elidet. Experientia quippe docuit satis crebro discipulos non habere Magistro eam quam deberent fidem, nisi eum videant pollere doctrina; quamvis eum insignem sanctitate credant.

28. Animadvertat nihilominus Magister, si quem tardiorem aut infirmiorem ad Religionis cursum perspexerit, ne statim animum despondeat, quasi desperandum sit, si quis ceteros celeritate non aequet. Non enim haec doctrina apostolica est. Si enim clementissimus Dominus et Salvator noster hanc probasset doctrinam, a sua certe schola discipulos repulisset, quos non semel hortatus imperfectos adhuc esse et crucis verbum perhorrescere videbat; sed pertulit eos, erudivit eos et tandem patientia sua perfecit eos. Curet autem Magister quos natura incompositos videt, tempestive probare, ita ut ante mensem saltem decimum sic corrigantur, ut a capitulo approbari possint. Nam si probatio nimis differatur, subintrat quaedam virtutis apparens festinatio emittendae professionis desiderio potius quam de amore concepta, quae nihil sinceritatis et firmitatis habet, et emissa professione statim evanescit, quia radices non habet.

29. Verum quia multiplex est novorum fratrum imperfectio, quae nec semper ferenda, nec vero semper corripienda est; omnia exploret ac patribus antequam ferant suffragia, fideliter exponat; nuncietque in capitulo de hoc illove fratre in sequenti capitulo proximo agendum esse, ut patres rem meditentur Deoque commendent.

30. Curet Magister in omnibus quae gesturus est, laetitiam praeseferre, quoad per rerum circumstantias licebit. Nihil est enim quod rerum molestias adeo elevet ac laetitia. Quam propterea viri sapientes inter ipsas vitae monasticae austeritates mirifice commendant. Semper ergo Magister laetus incedat, et si quando atra bile vexatur, vim sibi inferat: fiet enim Deo per hoc multo acceptior. Et hunc laetitiae spiritum discipulis indere studeat; quo illi sine ambiguitate felicius procedent et opera difficilia quaevis eo sapore condient, qui generat laborum quasi lautarum epularum appetentiam.

31. Ad hunc finem non quotidiana tantum post prandium recreatio unius horae, verum et extraordinaria interdum habenda; ut scilicet ibi fratres simul laetentur in Domino et alacriores ad Religionis opus revertantur. Quapropter Magister foras animi gratia discipulos ducet quoties rebus ac circumstantiis expensis et collatis Constitutiones nostrae permittent; et identidem illos hortabitur ut non supercilia et luctum, sed hilarem modestiam ubique praeseferant; quam Apostolus commendavit, aiens (1): *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

32. Sunt et actus alii nonnulli magni ponderis, qui Magistri prudentiam praesertim exposcunt, quibus modum praescribere oportuit, ut ex eorum observatione in aliis qui passim occurrunt, Magister modum invenire consuescat.

(1) *Ad Philip.*, c. IV, v. 4-5.

33. Fratribus ergo recenter indutis quae magis necessaria sunt e disciplina nostra, statim discenda praescribet; eritque ad rem ut primis diebus orationis compendium, prout in *Instructione* (2) traditur, praesentiae Dei ac directionis actuum rationem, communesque Congregationis caeremonias discant, et tam iis quam aliis fratribus quibus nullum officium iniungitur, imponet ut quod reliquum est temporis extra communes actus orationi lectionique impendant; certoque numero aliquo, puta septenario, propriam voluntatem quotidie iuxta occasiones sibi oblatas abnegare consuescant. Sic enim a primis quoque diebus parandae perfectioni christianae aptam rationem ex regulari vita, oratione ac mortificatione contextam exercebunt; quam temporis processu perficient.

34. Singulis diebus, praeter sextam feriam, exhortationem faciet, ipsoque tempore ad exhortationem designato feria secunda et quarta (solemni festo vel professionis die aliud non exigente) fratres a zelatore (qui erit Magistri socius) admonitos vel a seipsis accusatos breviter corripiet.

35. Feria vero tertia et sabbato exiget rationem de cultu virtutum quibus eo tempore studuerint, ac de praesentia Dei, hoc est, quonam pacto iis diebus Deum mente versare assuescant, et Dei praesentiam cum virtute quam illa hebdomada colunt, concilient. Debent enim meditationes seu bonas cogitationes a Dei praesentia enascentes virtuti de qua paranda cogitant, adaptare.

36. Feria quinta et dominica et universim diebus sacrae Communionis, praeter exhortationem vespertinam, de idonea praeparatione ad Eucharistiam ex evangelio vel aliunde materiam excerpens, ut plurimum per horae quadrantem (antequam fratres ad sacram Communionem accedant), sermonem faciet.

37. Exhortationum vero materiam esse noverit de orationis studio, de parandis virtutibus, de passionibus subiugandis et tentationibus elidendis, de modo recte confitendi ac Eucharistiam suscipiendi, de modo audiendi sacrum, de ratione religiose recitandi ac fructuose legendi, et de aliis similibus.

38. Exponet votorum Regulaeque sensum et obligationem, ac Instituti nostri rationem, ad quam eos afficere conabitur. Poterit etiam e Scriptura sacra quippiam interpretari; et denique quidquid ad pietatem conferre iudicaverit, edocere. At ne modum excedat, exhortationem ultra horam dimidiam paulove amplius non producat.

39. Diebus sacrae Communionis in loco recreationis solito fiet collatio spiritualis de festo vel evangelio occurrente, vel de re quavis ad spiritualem profectum opportuna, Magistro sciscitanti ab unoquoque ac denique ex collatis singulorum sententiis proposita definiente. Ubi iubere poterit ut quisque dubia quaevis de exercitiis, actibus vel spirituali profectu proponat, eaque decidet, ut responso uno cuncti erudiantur. Si autem res ardua sit, differat responsum quousque rem pertractet et (si opus sit) alios consulat.

40. In recreationibus ordinariis docebit modum recte canendi, diserte legendi, ritus Congregationis, officii rubricas et aliqua familiaria

(2) *Instructio Novitiorum*, part. III, cap. 2; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 205b-208b.

ministeria, ut puta resarciendi, legumina purgandi et eius generis alia; et ne silentio nimio fratres torpescant, urgebit illos ad comiter feliciterque loquendum.

41. In extraordinariis (in quibus fiet eis copia mutuo loquendi et sponsiones maiores [faciendi)] permittet discipulis aliquod ludi genus, quo ab oratione animus aliquantum relaxetur ac simul corpus ad valetudinem exerceatur.

42. In huiusmodi recreationibus solent fratres nostri velut quibusdam comoediae seu tragoediae actibus, alicuius simulati martyrii personas agere, puta martyris mortem fortiter oppetentis, tyranni saevientis, carnificis plectentis, et verbis e re natis ultro citroque certare. Qua ex re (ut multis liquet experimentis) saepe insignis animi commotio et caelestia desideria provenerunt. Eniteturque animos incendere, ut ferventiores in dies evadant, quod multis modis, sed his praesertim molietur.

43. Initio cuiusque mensis seliget virtutem unam, qua coetum fratrum universum magis promovendum arbitratur; et ad universale certamen eam proponet, iuxta modum in *Novitiorum Instructione* (3) praescriptum.

44. Singulis praeterea sabbatis, exhortationis tempore, fratri unicuique virtutem unam hebdomada illa colendam pro cuiusque desiderio assignabit, et eligendi virtutis modum novos fratres docebit (4). Eam quippe virtutem eligere debent, qua se magis indigere cognoscunt.

45. Curabit ut omnes per dies aliquot infra annum ex more faciant spiritualia quae vocamus exercitia (5), appropinquante praesertim professionis tempore; et eos frequentius visitabit et monebit, atque ad propinquam professionem opportunis actibus ac meditationibus instruet. Inter alia vero exercitia, erit ad rem formulam praeparationis ad professionem quae in *Novitiorum Instructione* (6) habetur, per dies aliquot ter vel quater quotidie ex animo legere, illosque affectus serio concipere.

46. Summopere commendet sanctissimae Eucharistiae cultum, et hortabitur ut pridie quam illam fratres suscipiant, seipsos accuratissime comparent. Et cui sortito contigerit eius cultus unoquoque mense, ut coram altari lo[ngius] oret, concedere poterit.

47. Affectu devotionis erga beatissimam Virginem discipulos imbuere conabitur; et oratorii cui illa praesidet, sacristam ex iis qui aptiores videbuntur, creabit; creatoque peculiare quippiam, puta preces aliquas quotidianas, ad Virginis cultum poterit iniungere. Quo et acolytho ad sacrum utetur.

48. Alet praeterea devotionem erga sanctos qui a Congregatione religiosius coluntur. Et ante sollemniora Ecclesiae festa, Quadragesimam et Adventum discipulos praescriptis exercitiis internis vel externis praemuniet, quo uberius donis caelestibus cumulentur; iisque praesertim diebus praecipiet ut quisque quos animadvertit actus communes lentescere, vel oblivione sensim

(3) *Instructio Novitiorum*, part. IV, cap. 1, §.*Exercitia menstrua; Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, p. 213a.

(4) Cf. *Instructio Novitiorum*, part. IV, cap. 1, §. *Exercitia cuiuslibet hebdomadae; Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 212b-213a.

(5) Cf. *Ib.*, §. *Exercitia annua*, p. 213b.

(6) Part. IV, cap. 5; *Opera omnia;* ed. 1771-1774, t. III, pp. 215b-216b.

ST. ALBERT'S COLLEGE LI

deleri, vel etiam ad perfectionem desiderari scripto notet; ac ipse delectum habebit; sed non temere novos ritus inducet.

49. Navet operam ut inter alia universa opulentam Christi paupertatem fratres aemulentur et affectent; et, iuxta morem Congregatinis antiquum, vestes, libros, imagines, cellasque permutet; ne forte rebus eiusmodi cor nimis adhaereat.

50. Iubeat genuflexos fratres sedere, si sermo longius procurrat.

51. Fratres inter se et cum saecularibus comiter ac reverenter loqui agereque cum id occasio tulerit, edoceat; nec agrestes vel insuaves verbis aut gestibus esse patiatur.

52. Multis sane aliis prudentiae monitis Magister instruendus esset, sed perseveranter oret ac speret. Clementissimus enim Deus erudiet animum in caelesti peritia modos musicos requirentem.

Caput V.

De oratione et lectione

1. Supervacaneum videtur ad orationis studium adhortari Magistrum, qui nisi theologiae mysticae consultissimus et orandi cupidissimus sit, nequit ut par est suum opus explere. Profecto virtutes quibus eget, non valet quantavis navitate parare, si viribus innitatur humanis; unumque superest remedium, ut iugi mentis elevatione iuge poscat auxilium.

2. Praeterea qua ratione poterit dirimere difficultates subortas in oratione iis quorum gerit curam, nisi eius sit consultissimus et quandam spiritus velut anatomiam didicerit?

3. Magister tam debet esse peritus, ut (more fundibulariorum Gabaa (1)) capillum, hoc est, subtiles possit cogitationes intersecare; quod est verum a falso spiritumque Christi ab angelo sathanae se in lucis angelum transfigurante sine deceptione discernere. Compertum est autem Novitios, quibus plerumque insoliti eventus in oratione contingunt, Magistris quaestiones in eo genere tam implexas proponere, ut nisi in ea arcana scientia provectiores sint, eas decidere nesciant.

4. Propterea tam serio Magister theologiae mysticae studio et orationi vacet ac unionem divinam affectet, ut orandi iam perfecte gnarus dubia quaeque decidat, nec hominum commercio et colloquio a Dei praesentia intime cordi impressa et oratione divertatur. In hunc enim modum recte discipulos imbuet quo ipse spiritu imbutus est.

5. Docebit vero orationis methodum in *Novitiorum Instructione* (2) traditum et quae huc spectantia experimentis, consiliis et sanctorum lectione didicerit. In quo si strenue se gerat, singularem discipulorum profectum et sibi a Domino cumulatum praemium merito sperabit.

6. Quia vero mens carnis pondere a iugi orationis studio importune dimovetur, et ipsa naturae inconstantia eam iugem cordis intentionem ferre nequit, nisi varietate condiatur, Magister lectionem crebro repetat, et oratione ac pia lectione vitam contexat; eiusmodique

(1) *Iudic.*, c. XX, v. 16.

(2) Part. III, cap. 2-3; *Opera omnia*, ed. 1771-1774, t. III, pp. 204b-208b.

texturam discipulis summopere commendet. Elevat enim ea lectio animae fastidium, suggerit meditandi materiam, docet multa quae etiam orando minime discuntur, et plurima alia bona parit.

7. Et quidem si apud vulgatissimas historias multi qui iacebant in luto saeculi, fortuito librum aliquem arripientes ac legentes repente commoti, emolliti et in Dei filios adoptati sunt; quid fiet iis qui proficiendi ac Deo placendi desiderio sancta lectione pascuntur? Profecto immensa inde lucra proveniunt.

8. At quia non modica ex librorum delectu utilitas existit, subiecto catalogo uti expedire visum est.

Catalogus librorum Magistri (3)

9. S. Evangelia, Epistolae Pauli, Basilii Ascetica et Regulae; Gregorius in *Moralibus* et *De cura pastorali;* Augustini *Confessiones* et *Meditationes; Opuscula* Bernardi, et aliqui *sermones super Cantica; Opuscula* S. Bonaventurae; Cassianus; Hugo de Sancto Victore *De claustro animae;* Richardus de Sancto Victore; Humbertus *De eruditione religiosorum;* Climacus; Innocentius et Gerson *De contemptu mundi* et alia eius *opuscula;* Kempis *De imitatione Christi* et alia eius *opera; Tractatus* Vincentii *de vita spirituali; Opera* Blosii; Dionysii Cartusiani *opuscula;* Tauleri *Institutiones;* Albertus Magnus *De virtutibus;* Landulphus *De vita Christi* et alii similes.

Libri vulgares

10. *Opera* P. F. Ludovici Granatensis; *Opera* P. Avilae; *Opera* Didaci Perez; P. Arias *De Oratione et mortificatione; Opera* M. N. Theresiae de Iesu et libri alii similes.

Libri historici

11. S. Gregorii *Dialogi;* Gregorius Turonensis *De gloria confessorum* et *Vita sancti Martini;* Eusebii *Historia ecclesiastica;* Theodoreti *Religiosa historia; vitae Patrum selectae; Speculum exemplorum; vitae sanctorum* Lippomani et Surii; Petrus Damianus et Petrus Cluniacensis *De miraculis;* religionum chronica; vitae sanctorum nostrae aetatis et alii similes libri.

12. Ex his pro uniuscuiusque captu discipulis distribuet; et animadvertet non multos libros esse Novitiis permittendos; et cum ei opportunum videbitur, scrutari poterit quem fructum quisque ex lectione reportet. Finem etiam lectionis docebit esse debere non scientiam, sed affectum; ut scilicet varia opera legantur non ad comparandam scientiam, sed ad voluntatem amore divino inflammandam. Hac enim potissima ex causa salus mundi sapientum periclitatur, quod avidissime studeant intellectum illustrare, non sic ad pietatem voluntatem urgere.

Exhortatio

13. Magister ergo purissimo corde Dei primum gloriam, Religionis mox salutem exoptans, discipulos erudiat, arguat, obsecret, increpet, in omni patientia et doctrina (4). Non illum labor aut taedium ab hoc opere Deo acceptissimo deterreat, vel retardet; et habens impositam tot ac tantorum nubem testium qui in hoc opere insigniter

(3) Cf. supra, part. I, cap. 6, ubi indicationes necessarias ad opera in hoc catalogo recensita in notis congerimus.

(4) II *Ad Timoth.*, c. IV, v. 2.

claruerunt, currat ad propositum sibi certamen, aspiciens in auctorem fidei et consummatorem Iesum. Pondus est, sed leve ac momentaneum; quia aeternum gloriae pondus operatur in caelis. Nolit timere, quia clementissimus Deus protector eius est et merces eius magna nimis. Magna certe nimis, quia non ut privatus miles, sed quasi ductor agminis, postquam legitime certaverit, coronabitur; et salus publica, pro qua laborat, tot augmentis eius gloriam cumulabit, quod bonis operibus et profectibus ad Dei gloriam propagabitur.

NOTANDUM

Iam tres primae partes huius novae editionis *Instructionis Magistri Novitiorum* typis mandatae erant, quando primam editionem (Neapoli 1608) (1), antea diligenter requisitam, apud bibliopolam emi et in bibliothecam Domus nostrae Generalitiae Romae posui.

In hac prima editione capita multo plus numeris constant quam in *Operum omnium* editione florentina (1771-1774). Ad uniformitatem huius novae editionis servandam, divisionem capitum in numeros pro reliqua parte non immutavi, sed eam editionis florentinae servavi, cum tres primae partes iuxta hanc editionem iam typis mandatae erant. Textum tamen a quarta parte et deinceps iuxta primam editionem (Neapoli 1608) dedi atque varias lectiones in notis retuli. Ut tamen tota haec nova editio cum prima conformis sit, opportunum duxi hic referre varias lectiones quae in tribus primis partibus inveniuntur. *A* designat primam editionem an. 1608; *B* vero ed. an. 1771-1774 et *C* hanc novam ed. an. 1930.

A, p. 25: verbis illis proximo capite *e* Christo allatis; B, p. 221[a] et C, p. 11[b], num. 1, linea 30: *a* pro *e*.

A, p. 36, num. 13: qui, cum *alii* scandala patiuntur non uritur; B, p. 223[b] et C, p. 16[a], num. 5, linea 8: *aliis* pro *alii*.

A, p. 37, num. 14: eo *directurus* est, ut corda discipulorum capiat; B, p. 223[b] et C, p. 16[b], num. 5, linea 15: *directurum* pro *directurus*.

A, p. 44, num. 8: Cum enim appetitui nondum *mortificato;* B, p. 225[a] et C, p. 19[a], num. 2, linea 4: *mortificatio* pro *mortificato*.

A, p. 45, num. 10: ut *eas* discipuli vel pictas oderint, doceatque vel *in* minima culpa; B, p. 225[a] et C, p. 19[a], num. 2, linea 40 et 41 *eas* et *in* desunt.

A, p. 50, num. 3: non apud claustra reformata *tantum, verum et apud alia non reformata, ex communi omnium consensione;* B, p. 226[a] et C, p. 21[a], num. 3, linea 5: non apud claustra reformata *solum, sed ex communi omnium confessione*.

A, p. 51, num. 4: Ratio quarta *ducitur* a; B, p. 226[b] et C, p. 21[b], num. 4, linea 1: *dicitur* pro *ducitur*.

A, p. 56, num. 8: et Petrus Cluniacensis *de miraculis. Religionum Chronica. Vitae Sanctorum;* B, p. 227[b], et C, p. 24[b], linea ultima: et Petrus Cluniacensis, *De miraculis religionum; chronica vitae sanctorum*.

---

(1) *Instructio / Magistri / Novitiorum, / Per R. P. / Fr. Ioannem a Iesu Maria / Carmelitam Discalceatum Ca- / laguritanum. / Superiorum permissu. / Neapoli, Ex Typographia Tar- / quinii Longi. M.DCVIII.* / vol. legat. in pergam. 15-10 cm., pp. 206, index (8 pag. non num.).

A, p. 61, num. 8: sub renuntiationis tamen *initium, cum propriis passionibus* luctari, et virtutum actus licet exiguos obire consuescunt, B, p. 228[b] et C, p. 27[a], num. 2, prope finem, desunt: *initium, cum propriis passionibus.*

A, p. 64, num. 4 et B, p. 229[a]: quamvis ultra eum numerum absque numero procurrere debeant; C, p. 28[a], num. 2, linea 28: *procurare* pro *procurrere.*

A, p. 65, num. 5: At enim *quia* instar stipitum e sylva; B, p. 229[a] et C, p. 28[a], num. 3, linea 1 *quia* deest.

A, pp. 66-67, num. 8: per *dies aliquot* indulgeat; B, p. 229[b] et C, p. 29[a], num. 3, linea 15: per *aliquot menses* indulgeat.

A, p. 74, num. 2: in Oratorio corripiat: *doceatque* monasticum; B, p. 231[a] et C, p. 31[b], num. 1, linea antepenultima: *et doceat* pro *doceatque.*

A, p. 78, num. 4: quam voluit *Deus* singulari eo pastu nutrire; B, p. 231[b] et C, p. 32[b], num. 1, linea 36 *Deus* deest.

A, p. 79, num. 8: Quae omnia recte perpensa, atque *mutuo collata;* B, p. 232[a] et C, p. 33[a], num. 3, linea 12: *multo* pro *mutuo.*

A, p. 86, num. 1: tentationes longam orationem *exposcunt*, si de; B, p. 233[b] et C, p. 35[b], num. 1, linea 3: *exposcunt* deest.

A, p. 88, num. 3 et C, p. 36[a], num. 1, linea 28: Si quis vero *inhonestis* motibus; B, p. 233[b], num. 1, *honestis* pro *inhonestis.*

A, p. 90, num. 1: in hac *variarum* functionum peritia; B, p. 234[a] et C, p. 37[a], num. 1, linea 2-3: *vivarum* pro *variarum.*

A, p. 92, num. 1: de modo *condiendae* recreationis emergit; B, p. 234[b] et C, p. 37[b], num. 1, linea 7: *condendae* pro *condiendae.*

A, p. 98, num. 10 et C, p. 39[b], num. 5 (fine): *Adhuc enim ea admonitione praemissa, libertatis occasio;* B, pp. 235[b]-236[a](ut supra, p. 39, nota 1, retuli): *Adhuc enim ea admonitione recreentur. Adhuc enim ea admonitione praemissa, libertatis occasio.*

A, p. 106, num. 7: extrinsecus ordinandos, et *ad* bonam cum proximo conversationem; B, p. 237[b] et C, p. 42[b], num. 6, linea 9 *ad* deest.

A, p. 118, num. 2 (fine): novi fratres purgantur, *et illuminantur* et non modica ex parte perficiuntur; B, p. 240 et C, p. 46[b], num. 1, penultima linea: *et illuminantur* desunt.

A, p. 120, num. 5: verborum *confusione* non obtenebrare; B, p. 240[a] et C, p. 47[a], num. 2, linea 38: *confessione* pro *confusione.*

A, p. 121, num. 1: accipiantur, *quando*, absque molestia, immo; B, p. 240[b] et C, p. 47[b], num. 1, linea 16: *quomodo* pro *quando.*

A, p. 125, num. 2 et B, p. 241[b], num. 1: pariter in eundem hunc scopum *collimabit;* C, p. 49[a], num. 1, linea 21: *collineabit* pro *collimabit.*

A, p. 127, initio: multa graviter proferenda, multa praetereunda, *multa repetenda*, et aliis modis varianda; B, p. 241[b] et C, p. 49[b], num. 1, linea 6: *multa repetenda* desunt.

A, p. 128 et C, p. 50[a], regula 12: ut perennis illa *oratio* quae a fratribus nostris; B, p. 242[a]: *ratio* pro *oratio.*

A, p. 129 et C, p. 50[b], titul. capitis VI: De exigenda *ratione* exhortationum; B, p. 242[a]: *oratione* pro *ratione.*

A, p. 130, num. 4: monebitque parati sint, ea, cum rogati fuerint; B, p. 242[b] et C, p. 51[a], num. 2, linea 5: monebitque *ut* parati sint...
A, p. 133, num. 4: Praeterea Novitiorum animi non indigent *proaemiis* (*sic*), et verborum apparatu; B, p. 243[a] et C, p. 52[a], num. 3, linea 20: *praemiis* pro *prooemiis*.
A, p. 133, num. 4: quae publicarum concionum partem *non* exiguam sibi; B, p. 243 et C, p. 52[a], num. 3, linea 23: *non* deest.
A, p. 141, num. 16: Annotatio. Enitatur Magister *quam* sollicite poterit; B, p. 244[b] et C, p. 54[a], linea 32: *quum* pro *quam*.
A, p. 143, num. 4: aliisque scandalo nocet, aut cito serioque resipiscat aut cito recedat; B, p. 245[a] et C, p. 55[b], num. 4, linea 11: ... *nocet, ut cito serioque recedat*.

ERRATA ET MUTANDA

Visis variis lectionibus supra memoratis, sequentia benevolus Lector mutare velit, additis perpaucis erroribus typographicis.

p. 10[a], num. 2, linea 8: *inmensum* lege *immensum*.
p. 10[a], num. 3, linea 3: *agressa* lege *aggressa*.
p. 11[a], num. 6, linea 15: *sordibus* lege *sordidos*.
p. 11[b], num. 1, linea 30: *a Christo* lege *e Christo*.
p. 12[a], num. 2, linea 20: *et ex corde*, deleatur *ex*.
p. 12[b], num. 4, linea 5: *quae sive iustae* lege *sibi*.
p. 16[a], num. 5, linea 8: *qui cum aliis* lege *alii*.
p. 16[b], num. 5, linea 15: *eo directurum est* lege *directurus*.
p. 19[a], num. 2, linea 3-4: *nondum mortificatio* lege *mortificato*.
p. 19[a], num. 2, linea 40-41: lege: *ut eas discipuli... vel in minima*.
p. 20[b], num. 5, linea 14: *non solum Magistri* lege *non solius Magistri*.
p. 21[a], num. 3, linea 5: lege: *non apud claustra reformata tantum, verum et apud alia non reformata, ex communi omnium consensione*.
p. 21[b], num. 4, linea 1: *Ratio quarta dicitur* lege *ducitur*.
p. 25[a], linea 1, lege: *lis* (30); *religionum chronica; vitae sanctorum*.
p. 27[a], num. 2, linea 29: lege: *sub renuntiationis tamen initium cum propriis passionibus luctari et virtutum actus*.
p. 28[a], num. 3, linea 1: lege: *At enim quia instar stipitum*.
p. 29[a], num. 3, linea 15: *per aliquot menses* lege *per dies aliquot*.
p. 31[b], num. 1, linea antepenultima: *et doceat* lege *doceatque*.
p. 32[b], num. 1, linea 36-37, lege: *voluit Deus singulari*.
p. 33[a], num. 2, linea 16: *exarcerbetur* lege *exacerbetur*.
p. 33[a], num. 3, linea 12: *atque multo collata* lege *mutuo*.
p. 35[b], num. 1, linea 3, lege: *longam orationem exposcunt, si de*.
p. 37[a], num. 1, linea 2-3: *vivarum* lege *variarum*.
p. 37[b], num. 1, linea 7: *condendae* lege *condiendae*.

p. 38ª, num. 2, linea 3, lege: *ut in reformatis religionibus.*
p. 42ᵇ, num. 6, linea 9, lege: *et ad bonam cum proximo.*
p. 43ᵇ, num. 9, linea 26: *proferet* lege *profert.*
p. 45ᵇ, num. 1, lin. 21-22: *corrigendam* lege *corrigendum.*
p. 46ᵇ, num. 1, penultima linea, lege: *novi fratres purgantur, et illuminantur et non modica ex parte perficiuntur.*
p. 47ª, num. 2, linea 38: *confessione* lege *confusione.*
p. 47ᵇ, num. 1, linea 16: *quomodo absque* lege *quando absque.*
p. 49ᵇ, cap. 5, num. 1, linea 6-7, lege: *multa praetereunda, multa repetenda et aliis modis varianda.*
p. 51ª, num. 2, linea 5, lege: *monebitque ut parati sint.*
p. 52ª, num. 3, linea 20: *praemiis* lege *prooemiis.*
p. 52ª, num. 3, linea 23, lege: *partem non exiguam.*
p. 54ª, linea 32: *quum sollicite* lege *quam sollicite.*
p. 55ª, cap. 9, num. 1, linea 4, lege: *et quae non sint.*
p. 55ᵇ, num. 4, linea 11, lege: *nocet, aut cito serioque resipiscat, aut cito recedat.*

INDEX

RERUM IN HOC LIBELLO CONTENTARUM (1)

A

PAG.

Ad *actum* supernaturalem non quodcumque, sed eximium Dei auxilium requiritur 10

C

Caritas duos actus producit 13
Caritatis erga proximos Novitiorum Magistrum studiosissimum esse oportet 13-14
Cellas Novitiorum Magister visitet et earum munditiem moneat . 61
Certamina spiritualia non omittenda 59
Christus Magistri Novitiorum verum exemplar 11-12
Conversatio dulcis ad moderandos aliorum animos summopere necessaria 12
Quomodo cum gravitate temperanda 26
In *culparum* correptione qualiter se gerere debeat Magister . . 18
Culparum gravitas unde dimetienda 18
Novitiorum *culpae* quandoque dissimulandae 26

D

Diligendi Novitios modus Magistro praescribitur 13-17
Disciplinae regularis intermissiones aliquando Novitiis indulgendae 29
Quos fructus indulgentia haec pariat 29
Doctrina praeditus Magister esse debet 45
Doctrina Novitiis tradenda qualis esse debeat 45
Doctrinae Novitiis tradendae varia capita 52-55

E

Exercitia quaedam ante sanctiora tempora facienda . . . 59
Exercitia spiritualia a Novitiis facienda 58
Exercitia quaedam ad valetudinem conferentia iniungenda . . 60-61

---

(1) Hic index est ille qui in fine Iae editionis, 1608, invenitur; proinde tantum ad opus editum remittit, non vero ad opus ineditum quod hic pag. 78-92 adneximus.

PAG.

Exhortationum methodus 46-47
Exhortationis faciendae varii modi 47-48
Exhortationum regulae 49-50
Exhortationum rationem Magister a Novitiis exigere debet . . 50-51
Exhortationum distributio 51-52
Exhortationis tempus 52

G

Morum *gravitas* quomodo a Magistro cum dulcedine conversationis temperanda 26

H

Humilitas virtutum ceterarum fundamentum 9
Operam perdit Magister Novitiorum, nisi *humilis* esse studuerit 9
Oratio a Novitiorum Magistro pro *humilitate* recitanda . . . 11

I

Incipientibus minimae etiam culpae, quae provectis non admodum nocerent, perniciosae 19
Instituti proprii observatio a Magistro Novitiis saepe inculcanda 19
Instructio Novitiorum quoad exercitia quotidiana 61
Ira a Magistro Novitiorum multa et immensa damna parit . . 12-13

L

Lectionis piae multiplex fructus 22
Librorum quibus praesertim uti debet Novitiorum Magister catalogus 23-25

M

Magistrum Novitiorum divino lumine illustrari oportet, si magisterii partes explere debet 9
Magistro Novitiorum tria praesertim observanda sunt . . . 11
Magister priusquam Novitios mortificationibus exerceat se illis benevolum ostendat 28
Magistro doctrina supernaturalis et exemplum apprime necessaria 11
Magistri functio operosissima 12
Sine insigni mansuetudine *Magister* utiliter praeesse nequit . . 13
Singularem erga aliquem dilectionem aliis non ostendat *Magister* 14
A *Magistro*, cum perturbatur, correptio proroganda . . . 19
Curas omnes ab officio suo alienas *Magister* abiicere debet et in illud omnes vires conferre 20
Magister Patres doctrina spirituque provectos saepe consulere debet 26
Qualiter se gerere debeat *Magister* erga Novitios pueros vel adolescentes 29-30

PAG.
Qualiter erga Novitios maiores natu 30
Qualiter erga viros graves 30-31
Quomodo erga viros doctrina insignes 31-32
Quomodo erga tentatos 35-36
Singulis annis scrutinium quoddam Novitiorum a *Magistro* faciendum et, cognitis singulorum passionibus, apta remedia adhibenda traduntur 41
Magistri adhortatio 63-64
Mala quaedam a Novitiis exterminanda 55
Mortificationis exercitium qualiter alere debeat *Magister* . . 59-60
Eius erga religionem fidelitas in Novitiis probandis vel reprobandis quanta esse debeat 62

N

Novitiis insigni amoris significatione Magister, sive valeant, sive aegrotent, semper adsit 15
Novitii gravia tentamenta Magistro revelantes qualiter ab ipso excipiendi 17
Novitiis una suae religionis disciplina omnibus aliis anteponenda 19-20
Post sedulam curam non serio resipiscentes *Novitios* Magister, exclusis apparentis misericordiae rationibus, curet expelli . 20
Novitii sine Magistri consilio cuilibet librorum, quantumvis probatorum, doctrinae nullatenus adhaereant 25
Novitii recenter ingressi duobus praesertim consiliis erudiendi . 27
In *Novitiorum* ingenio et spiritu explorando plurimum operae Magistro ponendum 27; 32
Novitiorum spiritus quomodo a Magistro dirigendus . . . 32
Novitii a Magistro prudenter experiendi 34-35
Novitiis maiora quam quae religio praescribit, praestanda sunt e Magistri consilio 40
Qua via ordinarie ducendi sunt 48-49

O

Obedientiam suadet 69-71
Obedientia est opus fidei 69
Obedientia regularis cum saeculari confertur 70-71
Obediens verus seduci non potest 71
Officia domestica qua prudentia Novitiis iniungenda sint . . 36-37
Officia novitiatus quibus iniungenda sint 59
Oratio a Novitiorum Magistro pro humilitate recitanda . . 11
Orationis studio Magistrum deditissimum esse oportere multis rationibus probatur 20-22

P

Paupertatem rationibus suadet 71-74
Paupertas non est ubi nihil necessarii deest 72

PAG.

Paupertatis verus cultor quisnam sit 72
Paupertatis amorem in Novitiis Magister alere debet . . . 59-60
Praeparatio ad *professionem* 58
Professorum fratrum qui foras mittuntur, instructio . . . 65-66
Recenter *Professos* Magister cultura non destituat . . . 65
Professorum qui ad officia destinantur, instructio . . . 66
Professi a Novitiorum coenobio alio migrantes qualiter a Magistro instruendi sint 67-68
Prudentia Novitiorum in uno Magistro collocanda . . . 26

R

In *recreatione* Novitiorum cum ordinaria tum extraordinaria quomodo Magister se gerere debeat 37-39
Exercitia in *recreatione* facienda 60
In *recreatione* culpae perquam raro corripiendae 38

V

Verba Magistri suavia esse oportet 15
Virtutum progressum in Novitiis quibus mediis possit promovere Magister 40-44
Virtus una per singulos menses a Novitiis communiter eligenda . 57
Virtutem unam per singulas hebdomadas hinguli sibi eligent . 57-58
Virtutum acclamationes *vitiorumque* anathematismi . . . 62-63

Z

Zelus quid sit 17
Amoris effectus est 17
Divino *zelo* Magister aestuare debet 17
Eius potissimus fructus quinam 18
Zeli erga Novitios exercendi capita tria 18-20
Zeli proprium munus quodnam sit 19

INDEX SYNOPTICUS

PAG.

Facultates 4
Ratio huius novae editionis 5
Epistola nuncupatoria auctoris 6
Praefatio 7

PARS PRIMA

De Magistri virtutibus

Caput I De humilitate 9
Caput II De mansuetudine 11
Caput III De caritate 13
Caput IV De zelo 17
Caput V De oratione et studio rerum divinarum 20
Caput VI De lectione et catalogo librorum 22

PARS SECUNDA

De Magistri prudentia

Caput I De prudentia in communi 26
Caput II De prudentia erga Novitios omnes recenter indutos . 27
Caput III De prudentia erga Novitios pueros vel adolescentes . 29
Caput IV De prudentia erga Novitios maiores natu . . . 30
Caput V De prudentia erga viros graves in religionem ingressos . 30
Caput VI De prudentia erga Novitios doctrina praestantes . . 31
Caput VII De prudentia in directione spirituum 32
Caput VIII De prudentia in experiendis Novitiis 34
Caput IX De prudentia erga Novitios tentationibus vexatos . . 35
Caput X De prudentia in officiis iniungendis 36
Caput XI De prudentia in recreatione Novitiorum . . . 37
Caput XII De prudentia ad perfectionem Novitiorum promovendam 39

PARS TERTIA

De doctrina Novitiis tradenda

Caput I De communibus doctrinae capitibus 45
Caput II De modo doctrinae tradendae sive de methodo exhortationum 46

PAG.
Caput III De diversis exhortationum modis 47
Caput IV De scopo exhortationum et via qua Novitii ordinarie ducendi sunt 48
Caput V De regulis in exhortatione observandis 49
Caput VI De exigenda ratione exhortationum 50
Caput VII De distributione exhortationum ac tempore exhortationi praefigendo 51
Caput VIII De catalogo eorum quae a Magistro docenda sunt cum subiectis annotationibus 52
Caput IX De iis quae in educatione Novitiorum praesertim cavenda sunt 55

PARS QUARTA

De exercitiis et varia Novitiorum disciplina

Caput I De electione ac exercitio virtutis menstruae . . . 57
Caput II De virtutis delectu per hebdomadas 57
Caput III De spiritualibus Novitiorum exercitiis et praeparatione ad professionem 58
Caput IV De exercitiis ante sanctiora tempora fieri solitis . . 59
Caput V De officiis ad Novitiatum spectantibus iniungendis . . 59
Caput VI De exercitio mortificationis ac paupertatis alendo . 59
Caput VII De exercitiis in recreationis loco ac tempore fieri solitis 60
Caput VIII De exercitiis ad valetudinem conferentibus . . 60
Caput IX De instructione Novitiorum quoad obsequia multa quotidiana 61
Caput X De visitatione cellarum 61
Caput XI De fidelitate Magistri erga Religionem in Novitiis probandis aut reprobandis 62
Caput XII De acclamationibus virtutum et anathematismis vitiorum 62
Caput XIII De Magistri adhortatione 63

APPENDIX

De cura Magistri erga professos

Caput I De cultu recenter professorum 65
Caput II De instructione fratrum professorum qui foras mittuntur 65
Caput III De instructione fratrum professorum qui ad officia designantur 66
Caput IV De spirituali professorum instructione 66
Caput V De instructione professorum qui e Novitiatu ad alia coenobia migrant 67
Admonitio Magistri quoad exhortationes 68

PAG.
Exhortatio ad cultum obedientiae 69
Exhortatio ad cultum paupertatis 71
Exhortatio ad cultum humilitatis 74

INSTRUCTIO MAGISTRI NOVITIORUM

iuxta manuscriptum in Archivo N. Generali Romae asservatum

Praefatio 78
Caput I De humilitate et mansuetudine 78
Caput II De caritate 79
Caput III De zelo 81
Caput IV De prudentia 84
Caput V De oratione et lectione 91

Notandum 94
Errata et mutanda 96
Index rerum in hoc libello contentarum 98
Index Synopticus 102

Instructio Magistri
Novitiorum
/ P.I. A Iesu Maria

271-2
J51

3890

Instructio Magistri
Novitiorum
/ P.I. A Iesu Maria

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

OEMCO